

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

M

S: n.

21-c-37

PETRI
PETITI
PHILOSOPHI
ET DOCTORIS MEDICI,
SELECTORVM
POEMATUM
LIBRI DUO:

Acceſſit

DISSERTATIO
DE FURORE POETICO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

PARISIIS,
Excudebat JOANNES CVSSON,
via Jacobæa ſub ſigno Sancti
Joannis Baptiſtæ 1683.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible]

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ILLVSTRISSIMO VIRO,

NICOLAO NICOLAI,

IN SUPREMA REGIARUM RATIONUM

CVRIA PARISIENSI

PRÆSIDI PRIMARIO,

P. PETITVS S.

OFFERO tibi Poemata mea, ILLVSTRISSIME PRÆSES *:munus, fateor, parum amplitudini tuæ reſpondens, ſed tamen non alienum ab ingenii tui felicitate; qua non modo ardua quæque & ſublimia in diſciplinis attingis, ſed etiam amœna & pulchra amplecteris: ſic denique judicium tuum ad omne ſtudiorum genus liberali homine dignum accommodas, ut nihil à te alienum putes, quod aliquam eruditionis & induſtriæ ſpeciem præ ſe ferat. Sane, quod ad poëticam attinet, ita fere à natura comparatum video, ut quo aliquis magis ingenio valet, eo*

majore rerum poëticarum admiratione ducatur: contra autem qui nullum ejus ſuavitatis ſenſum habent, rudes fere, indocti, barbari, ſi quis propius inſpiciat, reperiantur. Vt minus mirum videri debeat, ſi tu, in quem natura tot egregias animi dotes contulit, mirifice poetarum inventis, & modulamine capiare. Quam ſane animi tui nobilitatem & elegantiam in me ſum etiam aliquando expertus. Recordor enim, quoties olim tibi ejus generis aliquid à me pro tempore editum afferrem, quam benevole exciperes, cupide legeres, prolixe laudares. Nec vero illa mea tantum laudare ſolitus es, ſed etiam, ut omnia quæ in eo genere feciſſem, colligerem, ſæpius dignatus hortari iis verbis, quæ vel ignavo mentem addere poſſent. Quæ, fateor, cohortatio tua tantum valuit, ut mihi, qui ſemper antea ad hoc uſque tempus, à tali incœpto abhorruiſſem, omnem animo metus ignaviam, ac torporem expectoraverit. Quid porro dicam, quam incurioſe habuerim mea iſta poemata? Quæ magnam partem ſubito calore, ut me occaſio rapiebat, effuſa, & chartis parum ævi capacibus mandata, non multo pòſt, refrigerato inventionis amore, tenebris, ceu pœnam commerita, quod præmature in publicum evolaſſent, damnabam. Qua negligentia aliquot, fateor, ex his, non pœnitendi omnino, quantum memoria poſſum repetere, ſpiritus amiſi. Nec

dubium quin omnia eodem modo peritura fue-rint, niſi tu ſubveniſſes. Tametſi enim mihi familiares mei de his itidem aurem ſubinde vellebant; non tamen magnopere movebar: ſed aliis intentus, iſta ut minoris momenti ſuſque deque habebam. Verum ut amplius intellexi de his judicium tuum, neque plane videri tibi quæ verſibus luſiſſem, indigna quæ in lucem darentur, nolui diutius mei eſſe calumniator; puduit ſinere ſic diſſipata jacere quæ tu probares: quæ vel eo nomine mihi pretioſa eſſe deberent, quod tibi non diſplicerent. Quid multa? Scrinia excuſſi, chartaceam omnem evolvi ſupellectilem: quodque earum ſcriptionum rimanti illam congeriem in manum veniebat, conjeci in hunc libellum, nullo quidem, ut videbis, ordine, ſed tamen cum delectu: neque enim à me, ut omnia colligerem, impetrare potui, ſed ſolum quæ magis viſa ſunt lucis capacia. Hæc igitur tibi potiſſimum dicanda eſſe putavi, AMPLISSIME PRÆSES, *qui iis vitam dediſti. Nunc te oro vehementer obteſtorque, ut hos qualeſcumque ingenii mei fœtus patrocinio tuo protegas adverſus malevolorum ſiniſtra judicia & morſus virulentos. Vt enim de hac mea facultate taceam, quam ſentio equidem quam ſit exigua, non te, opinor, præterit, quam ſit univerſum iſtud ſcribendi genus calumniæ opportunum, quod ſolius penè voluptatis cauſa inven-*

tum, niſi delectat, offendit. Nihil autem difficilius, quam id ſcribendo aſſequi, ut quod ſcripſeris, otioſos, vel aliud agentes, citra aliam utilitatem, ſola ſui contemplatione detineat. Hoc profecto non eſt cujuſvis hominis, ſed ejus cui ſtudiis noſtris præſidentes Deæ impenſius faveant. Quod autem hæc moroſi quidam & ſuperſtitioſi cenſores ipſa voluptatis profeſſione, explodenda putant, ſciant, quocumque in genere optima eſſe illa quæ maxime delectant: neque enim niſi bona, delectare poſſent. Sed hoc ita intelligi volo; ſi hæc bene ſanos & ſapientes viros juvent: quæ enim imperitis aut improbis jucunda ſunt, hæc eo ipſo quod talibus placent, prava & fugienda cenſeri debent. Hæc in eos dixerim quibus amœna iſta literarum ſordent, quia remota à vulgi commercio & quæſtu. Quos omnes ut profanos ab his ſacris faceſſere jubeo. Satis mihi ſi quæ ſcripſi, tibi, & tui ſimilibus, hoc eſt, mentis bene ſanæ hominibus, placeant. Sed de his hactenus. Quod ſupereſt, novi morem eſſe aliorum, qui libros magnis dedicant, ut in ipſo ingreſſu & veſtibulo, in patronorum laudes excurrant. Id quo minus hic ſequar, prohibet primum reverentia rerũ tuarum, quas iniquis includere epiſtolæ ſpatiis religio eſt. Non placet hæc magna contrahendi libido, quæ mallem oratione, ſi poſſem, dilatare in immenſum, & cælo æquare, ut undique ab omnibus

cernerentur. Sed neque eam in me vim dicendi agnoſco, qua te juſto elogio proſequi poſſim; neque ſi habeam, tu omnia quæ dicenda eſſent, ſinas me oratione complecti. Si nimirum vellem hic, arcanas animi tui proferre dotes, aperire ſtudiorum receſſus, literarios labores vulgare, quarum rerum teſtis ego ſum oculatus, cui fortuna pridem ad te familiarius colendum, aditum fecit. Hæc, ſat ſcio, nolles in vulgus efferri, qui te potius aſſiduis muneris ampliſſimi curis, ac ſumma quam regi præſtas, fide & diligentia laudandum cenſes. Sed *hæc, uti majorum tuorum decora, & ducti per virtutes generis ſplendor, mea prædicatione non egent, cum in omnium conſpectu & ore verſentur. Modo velim tuam iſtam ad mea ſtudia juvanda propenſionem omnibus eſſe conſpicuam: hac quidē cauſa, ut alii proceres ad eandem aliis ſtudioſis operam præſtandam tuo exemplo excitentur. Quanquam non video, quod majus exemplum vobis proponi poſſit eo amore, quo* LVDOVICVS MAGNVS *variarum artium cultores proſequitur, quibus quantum largiatur, omnium optime tu, qui regia acta, pro eo quod tibi incumbit, officio diſpungis, noſti. Mihi quoque (ſi fas dicere) in eodem albo eſſe aliquando contigit, ſed eo fato ut neſciam, principis benignitatem me expertum dicam, an fortunæ malignitatem: quæ in eo etiam exili rivulo, qui in me de in-*

exhauſto regiæ munificentiæ gurgite fluebat, oſtendere voluit potentiam ſuam. Adeo celeriter & importune curſum ejus avertit : at non animum meum à contemplatione Regis virtutum & cultu. Qui animus idem mihi manet, & manebit, dum his membris ſpiritus inerit. Vale, AMPLISSIME PRÆSES, *& me in numero tuorum habere perge. Ex Muſæo noſtro, Luteciæ Pariſiorum. Idibus Martiis*, CIↃ IↃC LXXXIII.

DE FURORE

DE FURORE POETICO DISSERTATIO.

SÆPE NUMERO, fateor, me admiratio inceſſit, quamobrem, cùm tot eruditione præſtantes viri de rebus Poëticis ſcripſerint, tam pauci extiterint, qui de furore Poëtico, ſine quo ars in eo genere nihil valet, ex profeſſo conſiderandum putarent. Præter enim unum Platonem, cujus ſingularis eo argumento concepta ad nos pervenit diſputatio, haud ſcio quem nominare alium poſſimus, qui aliquid de hac re ediderit, quod quidem memoria dignum videretur. Ne ipſe quidem Ariſtoteles, cùm ſuos de Poëtica libros conderet, multum curaſſe videtur, quid de ejus furoris natura ſentire deberemus. Quod tamen nemo Poëta bonus ſine furore eſſe poſſit in confeſſo eſt apud omnes. Quæ ſit cauſa ejus ſilentii, parum ad

rem pertinet indagare. Viſum eſt autem mihi in re obſcura, necdum ſatis explanata tentare, quid lucis ſtudioſis afferre poſſem. Nec vero is labor ſuſcipiendus tantùm veritatis cauſa; ſed etiam honoris Poëtarum quos furoris prætextu indoctiſſimi homines vellicant. Cum enim audiunt inſanire Poëtas (quod utique verum eſſe non inficiamur) continuo genus ſontici morbi cogitant, non multum ab eorum calamitate differens quos atrocior bilis atræ intemperies in vinculis Hippocratis detinet: vel certe (quod non minus miſerum) mentis improvidæ levitatem, de toto vitæ genere errantis, & quid homini maxime expediat, non intelligentis. Quod (inquiunt) majus animi inſanientis argumentum eſſe poteſt, quàm homines eruditos tantum laboris in nugis ponere? Totam in eo ſtudio ætatem conterere, quo nullum eſſe infructuoſius conſtet? Quis unquam hac via ad opes proceſſit? Quis tolerabile ſaltem ſenectuti perfugium hoc modo à fortuna impetrare potuit? Non princeps ipſe vatum Homerus quandiu vixit, aliena quadra vixit? Non poëta Eumolpus apud Petronium, ſic pannos excuſat, ut ſtudiorum infelicitatem fateatur? *Amor* (inquit) *ingenii neminem unquam divitem fecit.* Tum alia ad hunc modum, vel etiam acerbiora (ut eſt procax in alienis

ſtudiis inſectandis hominum natura oggerunt vituperones iſti, quibus nihil in univerſa humana induſtria placet, quod non πρὸς τὰ ἄλφιτα faciat.

At enimvero ſi quiſquis dat ſe alicui diſciplinæ, & in eam intentiore animi ſtudio & contentione incumbit, inſanus & furioſus quo ſenſu intelligunt, dicendus eſt, non Poëtæ modo, ſed & Philoſophorum præſtantiſſimi eidem crimini affines reperientur. Eant igitur & Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, Socratem, Platonem & alios humani generis magiſtros vecordiæ accuſent. Quos omnes ſic curas compoſuiſſe conſtat, tanquam nihil ad ſe humana omnia, una virtute excepta, pertinere putarent. Sed & mirandi illi opifices, quorum monumenta, quia oculis patent, indocti etiam laudant, eadem formula comprehendentur. Quidni enim Lyſippum olim dementem fuiſſe dicant; quem unius ſigni lineamentis inhærentem inopia extinxerit? Sed & Myron cauſam dicet ſeculis omnibus, parique vecordiæ macula aſpergetur, qui ejuſdem artis ambitione occupatus, nec ipſe multum heredem adjuviſſe dicitur: quiſquis denique alicui ſe arti aut ſcientiæ religioſius addicit, eo ipſo dignus judicabitur, cui Prætor ex duodecim tabularum præſcripto, rerum ſuarum adminiſtra-

tione interdicat. Quod quid aliud eſt quàm bellum ingeniis indicere, oppugnare artes, ſtudia evertere, bonam mentem ejurare? Non enim illi artium inventores & cultores accuſandi, ſed populi & principes qui tales viros diſciplinis promovendis natos egere ſinunt.

Atque ex his apparere arbitror, non aliam hujus veteris calumniæ eſſe cauſam, præter inſcientiam. Cum enim furor nihil aliud ſit, quàm vehementior animi concitatio & impetus, quo aliquis totus extra ſe rapitur, ut ſit in eo quod cogitat & conſequi ſtudet; interim ignorant, multum eos impetus differre, pro earum à quibus excitantur, cauſarum conditione. Unde diverſi admodum exiſtunt furores. Quidam mentis lumen extingunt, qui ſcilicet graves valetudinis offenſiones ſequuntur; ut in iis videre eſt, qui phreneſi aut melancholia laborant: alii mentem, non modo non eripiunt, ſed etiam ſupra ingenii humani captum illuminant, ut qui à numinis inſtinctu proficiſcuntur, quos adeo non malos Plato judicat, ut maximarum mortalibus cauſas opportunitatum cenſeat. In hoc genere eſt ſacer Vatum furor & Poëtarum, tum aliorum omnium, quos pietatis amor, & ardentior in Deum affectus populo ſecernit.

Hæc cum dilucide, ut oſtendam, Plato furorum genera diſtinxerit, mirari ſubit M. Tullium, tanto ingenio præditum, & in arce eloquentiæ ſedentem, in eodem in quo indoctum vulgus, errore eſſe verſatum: adeo Platonis quem præ aliis omnibus Philoſophis colebat, potuiſſe oblivíſci, ut furorem definiret, *mentis ad omnia cæcitatem.* Quod ſi recipitur, jam nullus nobis relictus eſt ad diſputandum locus; actum planiſſime de furore Poëtico: explodendus Plato qui hunc inter divinos recenſet. Quis enim amentiæ auctorem Deum facere audeat, aut Poëtarum princeps hac mercede fieri ſuſtineat? Sed fortaſſis hac ratione defendi poſſit, ſi dicamus ne ipſum quidem Platonem dubitare interdum, Poëtas atque alios numinis inſtinctu concitos appellare amentes: non quia Deus iis mentis propriæ uſum omnem adimat; ſed quia humanum, dum eam ſupra ingenii humani captum illuminat, quo fit ut divina potius quàm humana dici mereatur. Hoc igitur modo nihil abſurdi eſt divinum quemvis furorem dici mentis cæcitatem: mentis videlicet, qua humano more ſapit cæcitatem, non qua divinitus illuſtratur.

At non perinde idem vir magnus excuſari poteſt, cum eodem loco nimis Stoice,

& quod ſequitur, putide, inſaniam à furore diſtinguit; quam definit inconſtantiam ſanitate vacantem, quæ tamen tueri poſſit mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque uſitatum; cum furor non poſſit. Tametſi hanc diſtinctionem tabularum Decemviralium textu confirmat, Ego vero & illis tabulis, atque ipſi Ciceroni opponere haud dubitem Plautum, Terentium, Maronem, Horatium, Petronium qui iis nominibus promiſcue utuntur, quod prolatis eorum chartis demonſtrare poſſem. Sed nihil opus eſt, cum ipſe M. Tullius ſponte in viam redeat, ac more aliorum inſanire & furere pro eodem uſurpet lib. 2. Acad. Quæſtionum: *Quod idem* (inquit) *contingit inſanis, ut & incipientes furere ſentiant & dicant aliquid quod non ſit, id videri ſibi.* Id præmittere viſum eſt, ne quis ſecius interpretetur, cum me videbit in progreſſu & univerſo diſputationis curſu iis nominibus promiſcue uti.

Exinde ad penſum me converto. Principium diſputationis, videre quid ſit agendum, quod hujus propoſitum, quis ſcopus. Scilicet naturam furoris Poëtici quærimus. Idque jam titulus oſtendit. Hoc autem nihil aliud eſt, quam cauſas ejus inveſtigare; & primum & maxime efficien-

tem,in qua ſola aut præcipue,eſt negotium. Cęteræ enim in promptu ſunt; anima humana, certum corporis temperamentum, & quæ his affinia, finis etiam ſponte in oculos incurrit, compoſitio poëtica. Tanquam igitur incipientes, & remoto omni ſapientum præjudicio, ſinamus rationem ſuo ingenio ut, hoc eſt, dubitare: quod primum in omni re tractanda obſervandum monet Ariſtoteles, ſi quid quod ad rem pertineat, invenire volumus. Aut furor poëticus totus à Deo eſt, & aliis divinis principiis; aut à natura ipſa hominis & indole totus; aut partim à Deo, partim à natura, & quaſi ex utriuſq; cauſæ conjugatione reſultans. Hic æſtus rationis in hac quæſtione, ex quo tres nobis opiniones exiſtunt: una quidem eorum qui aliquem ex Geniis, vel ipſummet Deum commentantium Poëtarum animis illabi cenſuerunt; neque aliam præterea cauſam efficientem propiorem requirunt. Cui opinioni multa ſane apud Platonem occurrunt, quæ fidem adſtruere videantur; quam & Horatius non obſcure his verſibus ad Melpomenen confirmat:

O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas:
O mutis quoque Piſcibus
Donatura cycni ſi libeat ſonum:
Totum muneris hoc tui eſt,

Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Altera opinio eſt exiſtimantium ſuam cuique præſtantem naturam eſſe Deum; neque in carmine tantum, & ſtudiis literarum, ſed etiam in quolibet alio opere, & negotio. Utramque cauſam Maro eſt complexus in Nono, his verſibus,

Di ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an ſua cuique Deus ſit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.

His tertia accedit, meo quidem judicio tutiſſima, quæ extrema quodam temperamento copulat. Hanc igitur ut aliis probabiliorem ſequi & illuſtrare inſtitui. Sed cum hæc quoddam quaſi duarum temperamentum conſtituat, utriuſque anceps & particeps nullius autem naturæ mediæ quiſquam ſatis rationem abſque extremorum notitia conſequi poſſit; viſum eſt antequam ad eam quæ nobis magis placet, ſententiam deſcendimus, ſeorſim de illis extremis, quantum ad propoſitum attinet, conſiderare; ita quidem ut bona fide proferamus rationes quibus nituntur: quid in iis probabile inſit, quid improbandum, palam facia-

mus

mus. Ita enim intelligetur, quamobrem plenam à doctis fidem impetrare non poſſint, ſimul via ad illam quam probamus, muniętur.

Ad hanc tam perplexam diſputationem non ſolum acri opus eſt judicio, ſed etiam eruditione non vulgari. Multa ex Græcorum penes quos nomen & origo poetices, fontibus haurienda: replicanda veterum memoria temporum; ejus gentis ritus, religio, oracula, quatenus inſtitutum poſtulat, ſub unum conſpectum ponenda: ut quid ex his conjecturæ ſumi poſſit, appareat. Neque contemnenda porro in hac contemplatione auctoritas magnorum virorum, non ut præjudicium faciat, ſed ut judicium ſubeat, & expendatur. Quo in numero cum Plato eruditorum conſenſu familiam ducat, ab ejus nomine auſpicatiſſimo ſumendum diſceptationis initium cenſui.

Hic ut omnes norunt, in eo dialogo qui inſcribitur Phædrus, eos refellens, qui amorem vituperabant duplex furorum conſtituit genus: unum quidem quod à morbis originem ducit: alterum quod à divino inſtinctu. Illud humanum, hoc divinum vocat. Generis divini rurſus varias diſtinguit ſpecies, totidem aſſignatas numinibus: fatidicum Apollini; myſticum quo animarum

maculæ mundantur , Dionyſio : τελεστικὴν μανίαν vocat nomine ab iis qui ſacris initiabantur , ducto : Poëticum de quo agimus, Muſis : poſtremum, quod eſt amantum, Veneri & Cupidini aſſignat. Et hæc ut dixi ,nota pridem vel Grammaticis : at non perinde vulgatum , quod ex hac Platonica furorum partitione elicio ad primæ opinionis confirmationem , quæ rem poëticam in ſolo Deorum afflatu collocat. Cum enim ex his quatuor furoribus, duo ſaltem à ſolo numinis inſtinctu citra controverſiam pendeant ; Apollinaris & Dionyſiacus : hoc iis per aliquid commune ineſſe oportere palam eſt : non enim qua unus ab altero ſpecie diverſus. Iſtud vero commune profecto aliud eſſe non poteſt, præter genus omnes furoris divini ſpecies ambitu ſuo continens. Ita efficitur , non hos tantum duos , ſed & reliquos, amatorium ſcilicet & poëticum , eodem genere comprehendi , ac proinde totos numinis præſentia excitari.

Ac vim fatidicam ſic divinis principiis eſſe aptam, ut nullam aliam in hominum animis cauſam, requirat, quid attinet dicere ? Quæ enim ad munus tam ſupra omnem hominis naturam poſitum , ingeniorum ſortitio eſſe poſſit, non video. De myſtico autem ſeu Dionyſiaco ſi quis dubitat,

facile eorum qui de teletis ſcripſere, teſtimonio confirmari poteſt. Proclus quidem harum rerum teſtis locuples, atque ut Græci loquuntur , ἀξιόπιστος, iis qui alicui Deo initiarentur, mirificos apparuiſſe fulgores, partim certa circumſcriptos figura : partim ἀτυπώτους, tradit in commentariis ad πολιτείαν Platonis. Unde autem hæc ignium ſpectra initiatis, niſi à dæmone eorum illudente ſenſibus ? Quamobrem hos fulgores θεῶν ἐπιφανείας, & θεοπτίας vocabant, Damaſcius, θείας αὐτοψίας in Iſidori vita, apud Photium. De his multa & Pſellus in dialogo περὶ ἐνεργείας δαιμόνων. His accedebant , animi viſis perculſi tumultus, ex Plutarcho in libro περὶ τοῦ ἀκούειν; & de facie in orbe Lunæ. γίνονται χαρᾶς, οἷον οἱ τελούμενοι, μάλιστα θορύβῳ καὶ πτοήσει συγκεκραμένης. i. *gaudium perſentiunt* (animæ poſt diſceſſum è corpore ad Lunæ globum ſubeuntes) *quale qui initiantur numinibus, tumultu & admiratione mixtum.* Quæ trepidatio gaudio mixta aliunde excitari non potuit, niſi à ſpectris inuſitatis quæ Genius propius accedens eorum phantaſiæ objiciebat. Cum ergo ex his pateat hos furores ſolius dæmonis vi citra aliam cauſam excitari ſolitos ; valet profecto conſequentia ab his ad reliquos, poëticum & amatorium, ut etiam ex eodem principio, ſecluſa alia omni cauſa, proficiſci Platonis ſententia

credantur. Hæc igitur prima eſto pro illa opinione, ex Platonis verbis demonſtratio. Quæ tamen an ſit efficax, & quæ ſequuntur, infra accuratius ſuo loco expendemus.

In his & ſatis plauſibilis illa quæ ex poëtices origine ducitur. Quippe hanc primum Græcis ortam eodem Apollinis afflatu qui Pythiam Delphis incitabat, hinc conjectare licet, quod ibi reſponſa initio verſibus data fuiſſe non pauci neque ignobiles auctores tradunt. Qui mos modulandi oracula cum multis ſeculis obtinuiſſet, dum aræ Apollinis calebant, & loci religio florebat; poſt, temporis proceſſu ad pedeſtrem defluxit loquendi modum: de qua mutatione extat diſputatio apud Plutarchum, in qua cauſam ejus anxie ſcrutatur. Quin primum hexametrum prodiiſſe è Parnaſſi antris eodem auctore diſcimus, hunc ſcilicet;

ξυμφέρετε πτερὰ τ᾽ οἰωνοὶ, κηρὸν δὲ μέλιτται.

Conferte plumas aves: ceram vero apes.

Ænigma eſt, cujus, ſi quis ſenſum requirit, petenda explicatio eſt ex Pauſaniæ Phocicis. Neque abs re, paucis quæ ibi auctor eruditiſſimus tradit, referre. Quinque igitur in eo monte fana Apollini fuiſſe conſtructa teſtatur: primum quidem ſimplex admodum è lauri ramis inter ſe plexis: alterum

autem ex cera, & pinnulis apum, vel, ut aliis placet, avium pennis. Quod verſus allatus indicat. Hoc ſecundum tranſlatum poſtea divinitus fuiſſe ad Hyperboreos fama diſtulit. His igitur ſucceſſit tertium ſuperioribus tam diſſimile, quam eſt æs ceræ, avium pennis, & frondibus arborum: totum ſcilicet ex ære fabricatum: qualem Minerva ædem Athenis habuiſſe dicitur, χαλκίοικον ab eodem metallo, nuncupatam. Hoc quoque abolito quintum Agamedes & Trophonius præſtantes illius temporis architecti exædificarunt, Homeri etiam carminibus celebratum hymno in Apollinem, ſi tamen hymni illius auctor Homerus, & non Cynæthus quidam rapſodus & Poëta è Chio inſula, ut Pindari Scholiaſtes ad Od. 2. Nem, notat. Aliud demum addit Pauſanias, omnium poſtremum, illud ſcilicet, quod Amphictyones conſtruendum curarunt, architecto ad id opus uſi Corinthio Spintharo. Hæc obiter: eo unde ſum digreſſus revertor, ad eum ſcilicet verſiculum, quem primum è Parnaſſi adytis exauditum narrat Plutarchus. Quod ego interpretor eo tempore accidiſſe, cum Terra ibi templum habens metris daret reſponſa, nondum Apolline, oraculum adepto. Quod idem Plutarchus poſterius factum tradit citato libro, de Pythiæ oraculis, poſt-

quam vi illa modulandi exoleſcente ultro Dea ſedem Apollini conceſſit : ὅτι τῷ θεῷ ἐπιδιᾷ φθονοῦσαν ἀποβαλεῖν τὸ σεμνὸν, ſupple ἑαυτῆ. Quæ verba indicant Terræ quam Deam putabant, id oraculum, quod poſtea Apollinis nomine claruit, antiquitus fuiſſe conſecratum : halitus, opinor, fatidici argumento, quem Pythiam coxim tripodi inſidentem, per corporis inferiora accipere oportebat. Aliter numini non conciliabatur. Hincque eſt quod Æſchylus in fabula, *Eumenides*, πρωτόμαντιν Γαῖαν vocat.

Ex his efficitur non verum dixiſſe, qui verſum hexametrum Phanotheæ Icarii uxoris inventum dixere : aut qui Phemonoen Apollinis Sacerdotem, primam in urbe Pythone eodem metri genere vaticinatam. Tametſi Euſebius τῶν χρονικῶν lib. primo, huic poſteriori opinioni ſuſcribit his verbis: Πυθοῖ Φημονόη χρησμῳδὸς, πρώτη δι' ἑξαμέτρων ἱστορεῖται προθεσπίσαι. Quem ſequitur Euſtathius Homeri interpres in prolegomenis. Sed me magis profecto Plutarchi auctoritas movet, qui, ut viſum eſt, eo quem citavi libro, expreſſe teſtatur, multo ante, Pythone oracula verſibus cœpiſſe reddi, quam ibi Apollo vates haberet. Sed & Plinius eodem errore deceptus, dum libro 7. de rerum inventis agens verſum heroïcum Pythio oraculo deberi ſcribit. Niſi forte hunc

ad eam vim reſpexiſſe dicamus, quæ terræ viſceribus erumpens ſacerdotum mentes afflabat.

Quis igitur ex his non videt, dæmonem, qui ejuſmodi terræ expiratione pro furoris ſymbolo utebatur; earumdem facultatum, fatidicæ ſcilicet & muſicæ, ſeſe auctorem hoc pignore profeſſum? Ex quo intelligatur, id quod dixi, ex eo afflatu natam Græcis poëticam & primas carminis leges, quo vaticinia edebantur. Tametſi non me fallit quam difficulter tam vetuſta fidem impetrent, nedum aliis largiantur. Sed cum multa in eandem opinionem conſpirant, moroſi eſſe animi videtur, non adhibere fidem probabilibus argumentis. Sunt ſane alia non minus veriſimilia ejuſdem poëtices originis indicia, ut quod ex veterum poëtarum monumentis ſumitur: ſi nimirum Homeri & Heſiodi Poëmata, cum iis quæ nobis ſuperſunt, Sibyllæ, & Pythiæ, tum aliorum priſcorum vatum oraculis componamus. Adeo multa in iis occurrunt ad eandem ſtili majeſtatem cadentia; tam indiſcreta locutionum & verborum ſimilitudine, ut quivis facile in eadem Apollinis incude fabricata, atque ex eadē officina profecta intelligat. Sive ſcriptores illi voces tantum mutuati ab oraculis, & orationis ornamenta, ac modulos; quod

de Homero Diodorus teſtatur; multa ſcilicet è Daphnes illius quæ fuit Tireſiæ filia, vaticiniis in ejus poëſim tranſlata: ſive ipſi eodem Apollinis œſtro incitati eaſdem eloquii pulchritudines videbant: quod magis veriſimile eorum inacceſſa majeſtas facit.

Cur autem iſtud potius amplectar, paucis expediam. Simul ſcrupulum qui hic movetur, evellam. Fortaſſis enim nonnullus occurret, his quidem effici non eſſe abſurdum, primum proditam hominibus poëſim, inventamque Apollinis afflatu, ut dictum eſt, ſic vatum mentes moventis, ora fingentis, ut verſibus modulatis reſponſa comprehenderentur: at non ſequitur, eadem vi divina opus fuiſſe ad tranſmittendam ſequentibus ingeniis, artis lampada: ut nec quiſquam exinde potuerit ſine tali auxilio legitimum carmen condere. Quid enim obſtat manaſſe ad poſteros, dum quiſque ad propoſitum exemplum reſpicit, oracula ſcilicet verſibus reddita? Dum item ſtudioſi ex iiſdem reſponſis, metrorum leges & carminis ſtruendi artificium exprimunt.

Verum qui hæc objicit, non ſatis poëtices vim omnem animo complexus videtur: dum ad numeros tantum & modulandi artificium reſpicit: quod autem in poëſi eſt

generoſius

generoſius minimeque tralatitium inunctis quaſi lippus oculis pervidet. Ignorat enim duplex pridem à Platone poëtices genus diſtinctum: unum quidem plane divinum: alterum in artis obſervatione & ſtudio poſitum. Prioris character eſt quicquid in carmine eminet, inflammat, fulgore inuſitato legentes rapit: poſterioris quodcumque operoſiore cultu lucernam olet. Auctor nobis ejus diſtinctionis Proclus in primo commentariorum in Timæum his verbis: δοκεῖ οὖν μοι διελεῖν Πλάτων τὴν ποιητικὴν εἴς τε ἔνθουν, καὶ τὴν τεχνικήν. καὶ διελὼν τὴν μὲν ἀπὸ τοῦ ἐνθουσιασμοῦ μεγαλοφωνίαν καὶ τὸ ὕψος, ἐπὶ τοὺς θεοὺς ἀνενέγκειν. τὸ γὰρ ἁδρὸν καὶ μεγαλοπρεπὲς ἑρμηνείας, οἱ χρησμοὶ διαφερόντως ἔχουσιν. 1. *Mihi itaque Plato videtur, poeticam dividere in id genus quod divinum eſt: & in id quod arte continetur. Exinde magniloquentiam, & ſublimitatem in orationis facie eminentem, referre ad Deos; hoc argumento, quod has virtutes oracula excellenter habeant.*

Si eſt, ut in oraculis, denſum, ſublime coruſcum, magnificum dicendi genus excellat; propterea quod divino afflatu erumpunt, conſequens eſſe videtur, ut occupatio illa mentis Deo afflatæ, quam Græci ἐνθουσιασμὸν vocant, prima & continens magniloquentiæ cauſa cenſeri debeat. Ex quo efficitur, quocumque ſcripti in genere eadem vis & dignitas elocutionis eminet, non fruſtra fore conjecturæ, qui ſcriptum

id eadem cauſa expreſſum defendat. Sic experti ſæpius ignem omnium calidorum calidiſſimum, non immerito judicamus, non alia ratione cætera corpora eſſe calida, quam quia partem aliquam caloris pro modulo ſuo ab eo fonte traxerunt. Quemadmodum igitur ubi ignis viget proprietas, ibi ignem reperiri nemo dubitat, ſic quocumque in opere humani ingenii ardor ille cæleſtis nihil humile aut vulgare ſonans notatur, ibi profecto divinum ſubeſſe principium conſentaneum eſt.

Idem amplius locorum argumento confirmari poteſt quæ eadem olim poëtis & Pythiæ Apollinis ſacerdoti aſſignata: fontes videlicet, nemora & ſpeluncæ montis Parnaſſi. Quibus in locis tam præſenti Muſæ auxilio ſtudioſis affuiſſe dicuntur, ut vel ſomnia in illo monte dormientibus ad contrahendam poëticæ indolis facultatem prodeſſent, quo ſane Perſius alluſit in prologo.

Nec fonte labra prolui caballino
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem.

cum ſe neutiquam poëtæ nomine eſſe dignum, neque quas ſcripſiſſet ſatyras, poëmatis legitimi loco habendas intelligi vellet. Ex quo patet, hunc modum poëticam conſequendi per inſomnia divina, ſic fama

apud antiquos fuiſſe vulgatum, ut etiam iis temporibus quibus Perſius vivebat, in ore eſſet omnium, ac proverbii vice ferretur.

Sane non Perſius tantum, ſed & alii modi iſtius poëtices comparandæ mentionem fecere. In quo numero & Propertius lib. 3. his verſibus,

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges Alba tuos & regum facta tuorum.
Tantum operis nervis hiſcere poſſe meis.

Quod autem Caſaubonus in commentario ad Perſium id fabuloſum retur, id nunc conſiderandum eſt. *Hunc* (inquit) *morem & ſuperſtitionem ad ſuos illos montes tranſtulerunt, ac ſibi perſuaſerunt, eos qui in illis montibus ſomniarent, repente poetas exiſtere.* Quaſi vero ſoli ægrotantes, ac non etiam bene valentes, vaticinii per inſomnia captandi cauſa, ſolerent in lucis ſacris aut templis cubare: ut de iis proditum qui Amphiarai oraculum, aut Trophonii adibant. Quod & Maro in octavo teſtatur de Fauni in Italia oraculo, quem ſciſciraturus rex Latinus de filiæ nuptiis & genero adoptando,

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio.

Sumpſit autem à Lycophrone, qui id confirmat in Alexandra:

> δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις
> χρήσει καθ᾽ ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν.

Ad quem locum Tzetzes: εἰώθασιν (inquit) οἱ Δαύνιοι, ἤτοι Καλαυροὶ ἐν μηλωταῖς καθεύδειν ἐν τῷ τάφῳ τοῦ Ποδαλειρίου, καὶ καθ᾽ ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς ἐξ αὐτοῦ. *Mos fuit Dauniis, ſive Calauris in ovium pellibus ſuper Podalirii ſepulchrum dormire, & ſic per ſomnum oracula ex ipſo captare.*

Si potuit dæmon ſuis cultoribus levare morbos indicato per imagines noctúrnas remedio, ut dictum eſt: ſi etiam iiſdem per templa & lucos conſecratos diſcumbentibus earumdem imaginum monitu negotiorum perplexa enodare, cur non olim & in Parnaſſo religionis cauſa dormientium phantaſiam iis informare viſis, quibus è ſomno ſurgentes poëtas ſe effectos crederent; & re vera eſſe experirentur, poſtquam ſe ejus ſacris hac conditione, hoc furóris auctoramento addixiſſent?

Non meminerat tunc Caſaubonus paſtoris illius quem refert Pauſanias in Boeoticis cum feſſus ad Orphei tumulum obdormiſſet, hinc concepto afflatu poëtico cœpiſſe in ſomnis Orphei verſus magna & ſuavi voce decantare. Quod ſi & Caſaubono fabuloſum viſum eſt, (tametſi non eſſe fabuloſum qui ex eo prodigio inſecutus me-

moratur Libethriorum exitus atque urbis clades oraculo ante prædicta, demonſtrant) at non perinde quiſquam prudens Syneſii præſtantis è Platonis ſecta philoſophi, & ad Chriſtianam, morum probitate vocati, fidem floccillet. Hic aureo in libello de Inſomniis, non conjecturis ut alias philoſophi, utens: ſed quæ accidiſſent, bona fide referens, teſtatur iis temporibus quibus ſcribebat, quendam ex rudi & indocto lepidum ex inſomnio poëtam extitiſſe. Qua de re, quia ad eum poëticæ inſaniæ modum confirmandum, non levis eſt momenti, ipſa ejus verba ſubjungere viſum eſt: ὥστε εἰ μὲν τῷ γέγονε θησαυρὸς ὕπνου δῶρον, οὐκ ἐν θαυμασίοις ἄγω, κἂν δ' εἴ τις καταδαρθὼν ἄμουσος, ἔπειτα ἐντυχὼν ὄναρ ταῖς μούσαις, καὶ τὰ μὲν εἰπὼν, τὰ δ' ἀκούων, ποιητὴς ἐστὶ δεξιός. ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς χρόνος ἤνεγκεν, οὐδὲ τοῦτο τῶν λίαν ἐστὶ παραδόξων. 1. *Proinde ſi cui theſaurus dono ſomni obtigit, non in mirandis cenſeam ducendum: neque porro ſi quis cum imperitus obdormiſſet, poſteaquam in ſomnis, cum Muſis verſatus ſit, quædam dixerit, quædam audierit, repente in poetam elegantem evaſerit: qualem noſtra ætas eventum tulit: neque id profecto in iis quæ præter opinionem incidunt, habendum putem.*

Non ſolum igitur homines eo modo poëtas aliquando fieri contingit auctore Syneſio, ſed etiam adeo probabile id & rationi conſentaneum, ut in mirandis &

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

& inopinatis caſibus habendum neget. Eodem pertinet, quod idem eadem refert charta, ſe multorum intellectu difficilium, quæ vigilans prorſus explicare non potuiſſet, intelligentiam in ſomnis conſecutum. Quod & ipſum ſi quis temerarius parum fide dignum deputat, rem ſimilem legat apud Auguſtinum, in libro de cura pro mortuis agenda. Quid autem vetat hiſtoriam huc ipſius Auguſtini verbis transferre? *Carthaginis rhetor Eulogius (qui meus in eadem arte diſcipulus fuit, ſicut mihi ipſe poſtea quam in Africam remeavimus, retulit) cum rhetoricos Ciceronis libros diſcipulis ſuis traderet, recenſens lectionem, quam poſtridie erat traditurus; quendam locum offendit obſcurum. Quo intellecto vix potuit dormire ſollicitus. Qua nocte ſomnianti, ego illi quod non intelligebat expoſui: immo non ego ſed imago mea neſciente me: & tam longe trans mare, aliquid aliud ſive agente, ſive ſomniante; & nihil de illius curis omnino curante. Quomodo fiant iſta neſcio.* Multa quoque Avicennæ in ſcientiis per ſomnum patefacta, Sorſani qui unus ex illius diſcipulis fuit, teſtimonio Nicolaus Maſſa refert in ejus vita: *Sæpe etiam ſomniare arduas difficultates ſolebat, quas etiam dormiens enodabat, & expergefactus optime ſolviſſe cognoſcebat.*

Quid de iis dicam, qui in ſomnis ver-

ſus componunt, non unum aut alterum ſed multos bene cohærentes; in quibus Iulius Scaliger, ſic de ſe teſtatur in Apiculis.

Blaterantque novos inſomnia verſus,
Quos ego ſi memori poſſem revocare tenore,
Complerent vacuas ſtipato carmine chartas.

Et multos alios in hoc genere ſuam experientiam jactantes vidi: vereor enim de me dicere, ne cui forte tetrico arrogans videar, ſi me vel iſta ſomniandi facultate magnis viris comparem. Sed de inſomniis alias uberius. Hæc autem retuli, ut intelligatur non eſſe abſurdum, animam, dum ſomni beneficio vacat à corporis miniſteriis, illuminari interdum divinitus, aut per Geniorum poteſtates, hocque modo quoſdam olim poeticam repente adeptos. Quod primum accidiſſe in parnaſſo veriſimile eſt, atque inde occaſionem non fabulæ, ſed ſuperſtitioni Veterum datam, ut Apollinem & Muſas regnare in iis montibus crederent.

Eadem ratio eſt poeticorum fontium, quos non eſſe fabuloſos oſtendunt μαντικὰ ὕδατα, inter Ethnicæ ſuperſtitionis ritus tantopere celebrata. Neque enim video cur abſurdius videri debeat, juvari poetas certarum aquarum potu ad verſus ſcribendos, quam ſacerdotes & myſtas ad vaticinandum. Nunc de aquis fatidicis tot loca apud

fide dignos auctores occurrunt, ut eos negare ſingularis impudentiæ, vel certe inſcitiæ videatur: valde enim in literis hoſpitem eſſe oportet, qui de his non ſæpius legerit. *Colophone* (inquit Plinius) *in Apollinis Clarii ſpecu lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula.* Hęc ille in miraculis aquarum cui atteſtatur Maximus Tyrius in 26. Diſſertatione: niſi quod quam Plinius lacunam vocat, fontes appellat. ὁ δὲ ἐν Ἰωνίᾳ προφήτης ὕδωρ ἐκ πηγῶν ἀρυσάμενος καὶ πιὼν, μαντικῶς ἔχει. *Apollinis in Ionia ſacerdos poſtquam aquam è fontibus bibit, vaticinatur.* Sed & alii complures earumdem aquarum variis locis ſcatentium mentionem faciunt; in quibus & veteres Chriſtiani & proceres Eccleſiæ; Tatianus in ſua oratione ad Græcos, ubi de Pythia; πηγὴ σα τις ὕδωρ μαίνεται &c. Et Gregorius Nyſſenus in oratione contra Fatum. Ex quo intelligi poteſt non falſo fuiſſe de iis aquis proditum, de quibus veritatis Chriſtianæ defenſores, inter alias priſcorum ſuperſtitiones, quibus bellum indixerant, dicendum putarint.

Nempe hanc dęmonum aquis ad hominum mentes afflandas abutentium vim fuiſſe palam eſt. Cur igitur non eodem hos elemento, ut ſymbolo & Sacramento olim ad poëtas incitandos luſiſſe credamus? Hinc certe ortam poëtis religionem putandum

eſt

eſt, eos montes celebrandi & fontes: non quia neceſſe eſſet Parnaſſum aut Helicona conſcendere, aut fontes Muſis ſacros bibere, quiſquis boni poëtæ officio fungi vellet, ſed quod hæc ratio eſt humani ingenii, ut ſemel recepta in paucis ſuperſtitio, ſponte incrementum capiat, & quam latiſſime exinde ad multos contagione ſerpat, neque facile ex hominum animis evelli poſſit. Ita re ſublata, diu memoria viguit; immo & nunc inter Chriſtianos viget, qui adhuc traditum ab antiquis morem invocandi Muſas in operum frontiſpiciis ſequi non dubitant. Ita nempe & Vida in exordio poëtices.

Sit fas veſtra mihi vulgare arcana per orbem,
Pierides.

Et Sannazarius in divino poëmate:

Nec minus, ô Muſæ, vatum decus &c.

At non impune, cenſore Scaligero, qui hanc urbanitatem ſevere in poëtica caſtigat: *Muſas quid attinet* (inquit) *admiſcere? Nam & numina Ethnica ſunt, & ficta, atque etiam à poetis proſtituta.* Sed nimis ſevere profecto, ut obiter data occaſione, quid de hac re ſentiam, dicam. Profecto enim, ſi qua in hoc eſt poëtarum culpa, tam multos habent ejus ſocios, ut jure poſſint conqueri, ſe ex univerſa populi Chriſtiani multitudine electos, qui communis delicti invidiam ſuſtineant.

Quis noſtrûm non Ethnicorum voces in ore habet? Quis inter menſes Ianuarium à Iano nuncupatum non fidenter nominat? Quis aliorum Deorum, quos priſci coluere, nominibus dies hebdomadæ non ſignat? Non Aſtronomi veterem adhuc Planetarum nomenclaturam retinent? At, inquis, tametſi cæli interpretes Deorum nomina in Planetarum doctrina uſurpant; non tamen eos invocant, ut poëtæ Muſas. Fateor. Sed ſi Aſtronomis aliquem è planetis Iovem, aut Martem vocare licet; cur vitio ſit Poëtis Muſarum nominibus, aut Apollinis, ſupremæ ſapientiæ fontes, aut ſanctorum Angelorum poteſtates invocaſſe: quos nobis eſſe adminiſtros ad omne opus præclarum, Theologorum coryphæi fateantur. Sed hæc obiter.

Illud ſerio circa hunc morem velim perpendi: unde hæc poëtas religio inceſſerit, ut ſemper in operum magnorum exordiis aliquod ſibi numen ſcriptorum prope ſoli invocandum putent. Cæteri enim ſcriptores propria arte & ſcientia freti, ſtatim propoſitum aggrediuntur: neque temere eorum quenquam reperias, qui ejuſmodi invocationibus utatur, præter unum fortaſſe Platonem, qui in Timæo, de mundi opifice & anima dicturus, & quæ ex his ſequuntur, preces fundit. Nempe, ut Proclus & alii

interpretes notant, naturam quidem rerum in eo dialogo tradit Plato, ſed θεολογικῶς; quemadmodum Ariſtoteles theologica, & metaphyſica φυσικῶς. Cæterum, neque Plato in aliis dialogis, neque alii Philoſophi, neque Medici (barbaros excipio) aut Hiſtorici talibus procemiis utuntur. Vnde igitur (inquam) hæc ſolis inducta poetis religio, niſi quia non arte ulla, aut ſcientia ſe egregia illa poemata facere poſſe confidunt, ſed ſolò cælitum afflatu, quos proinde ſibi præſto eſſe optant; utque adſint, votis & precibus efficiunt?

Hoc autem amplius ex Platonis diſputatione in dialogo qui inſcribitur Io, ſeu de Iliade, & de furore poetico, patere poteſt, qui ſolus, ut dixi, apud Platonem locus invenitur, in quo ex profeſſo de poetarum facultate diſputet. Occaſio diſputationis ſumitur ex Ionis rhapſodi (ita Græci alienorum carminum recitatores atque interpretes vocabant) ex Ionis, inquam, verbis; qui ſe confitebatur optime interpretari poſſe Homeri Poemata, non autem aliorum Poetarum, qui etiam eadem quæ Homerus, tractaſſent. Ex quo arguit Socrates, non modo non rhapſodos ad interpretandum, ſed neque poetas ipſos ad ſcribendum accedere, ſcientiæ aut artis ullius fiducia, ſed ſolo impetu divino. Sic autem diſputat.

Qui artem aliquam, aut ſcientiam perfecte eſt animo complexus, æque de omnibus quæ arte illa continentur, judicare poteſt: ſed Io iſte fatebatur de uno Homero quid eſſet judicandum, quæve eſſet vis & ratio eorum quæ ſcripſiſſet, videre poſſe & explicare; non item quæ alii poetæ: non ergo ex arte aut ſcientia quam percepiſſet, id prçſtabat, ſed alia quapiam facultate: quæ nulla alia afferri poteſt, præter numinis afflatum. Hæc prima eſt ratio Platonis.

Idem de poetis alio argumento demonſtrat, quod eſt ejuſmodi. Si vis illa poetarum, artis ullius ſtudio & peritia niteretur, nullum eſſet poematis genus, in quo non poſſet cum laude verſari, quiſquis ſemel artem comprehendiſſet. Ita enim uſuvenire in aliis videmus, in medicina, architectura, textoria, nautica; ut qui ex his quamlibet, calleat, omnibus quæ illi ſubjacent, bene exequendis pariter idoneum ſe præbeat: qui, verbi gratia, medicinæ eſt perfectus, hunc neceſſe eſt omnes ægrotos quocumque morbo laborent, bene pro captu artis quantum in ſe eſt, curare poſſe. Quæ enim diſparitas? Nunc neminem eſſe conſtat, qui parem ad omne poematis genus facultatem afferre ſe poſſe confidat: ſed certi unicuique fines præſcripti induſtriæ. Hic dithyrambos canere poteſt, ille viri

alicujus illuſtris laudes; hyporchemata alius & choreas, alius heroïca, quidam Iambos: neque bonus quiſquam, niſi in eo genere quod ſibi contigit. Unde igitur hæc tanta in eodem propoſito hominum diverſitas, niſi quia quod quiſque valeat, non humani eſt arbitrii aut artis, ſed Dei, animos moventis: non uno autem modo moventis; ſed variis, & alia aliis ſtudia aſſignantis.

Tum hæc confirmat exemplo Tynichi cujuſdam Chalcidenſis, iis temporibus noti. Qui diu nullius in poetica, cui ſe dederat, nominis, & fere contemptus; poſt modum improviſo furore correptus, ejuſmodi in Apollinem hymnum compoſuiſſet, cum quo nullum aliud ejus generis carmen comparari poſſet. *In hoc (* inquit Socrates) *Deus maxime nobis oſtendiſſe videtur, dubitandum non eſſe, quin præclara illa poemata Deorum potius, quam hominum opera cenſeri debeant: poetæ autem nihil aliud ſint, quam Deorum interpretes, dum furore occupantur, quiſquis eos Deus incitet.* Quod dicit poëtas non videri aliud eſſe, niſi Deorum ſcribas & interpretes confirmat oraculum Mileti olim apud Branchidas redditum, quo Apollo Homeri aperte poemata ſibi vindicat his verbis,

Ἤειδον μὲν ἐγὼν, ὃ δ' ἀπέγραψε θεῖος Ὅμηρος.

Hæc cecini; dius quæ deinde exſcripſit Homerus.

Hujus oraculi meminit Syneſius Platonicus in Dione.

Hoc etiam in Ione argumentum furoris & afflatus divini cenſet Socrates, quod is miſeranda, licet ad ſe nihil pertinentia referens, lacrymas ubertim funderet, atrocia & terribilia, veri metus ſigna omnia daret, capillis horrore erectis, & palpitanti corde. Quod tamen argumenti genus (ne quid diſſimulem) vellem à Platone omiſſum; quia parum efficax, nec ſatis propoſito congruens. Ecquis enim adeo eſt imperitus, ut ignoret earum imaginum quas ſenſu interiore verſamus, facultatem ad affectus movendos? Non ſolis enim rhapſodis aut poetis accidit, ut vehementius animo afficiantur, atque extra ſe rapiantur, quoties acrius in eas imagines intendunt, ſed etiam ſcenicis, & oratoribus, immo & circumſtanti turbæ. Quos motus ſi furoris divini & afflatus nomine appellare placet, non magnopere de nominibus altercandum putem, modo conveniat, longe diſparem eſſe hunc furorem ei, qui vates & alios numine occupatos incitat, & propriè ἐνθουσιασμὸς vocatur.

Sunt igitur hæc præcipua illius diſputationis capita, & rationum momenta.

Quibus non obſcure Plato, ſi verba ſpectamus, ſed & probabiliter, totam poetarum facultatem ab humana natura ad genus divinum transfert. Ejus enim operis, in quo nihil deſideratur eorum quæ rationis exquiſitæ, & artis ad ſummum perductæ propria cenſentur, non apparet quæ alia certior cauſa afferri poſſit, præter artem & ſcientiam in opificis animo: vel certe divinam vim, & illuſtrationem, ſi is qui id opus perfecit, artis & ſcientiæ expers inveniatur. Quo ſane argumento Socrates apud Platonem in Apologia, poëtas in iis quæ meditantur & moliuntur, ſolo ſubſiſtere numinis afflatu oſtendit: quod ab ipſo interrogati, nihil eorum quæ ſcripſiſſent, ſibi explicare potuiſſent, cum tamen nihil non commode in iis quæ proferret, eorum poëmatis, ſcriptum videretur. Sed aliquis fortaſſe id odio in poëtas, aut calumniandi libidine inventum ſuſpicetur. Ego non video quis ſuſpicioni locus eſſe poſſit, poſtquam Cicero idem multis poſt ſeculis, teſtatur de Arato, & Nicandro Colophonio; quorum alter optimis verſibus de cælo & ſtellis cecinit; alter non minus præclare de rebus ruſticis: cum Aratum aſtronomiæ ignarum, Nicandrum procul ab agro & tali exercitatione vixiſſe conſtet. Quibus Manilius Poeta Aſtronomicon au-

ctor adjungi poteſt, vel ipſo judice Scali-gero, ejus interprete & editore, qui & hunc quæ ignoraret ſcripſiſſe teſtatur.

Expoſui hactenus, quæ mihi ad primæ ſententiæ explanationem, majoris momenti viſa ſunt; conſequens eſt ut ad alterã, quæ ſecundo loco propoſita eſt, illi priori è diametro oppoſitam, tranſeamus. Hæc autem, ut dixi, univerſi Poetarum ſtudii & induſtriæ ſucceſſum in ſolius humani ingenii vigore & præſtantia collocat. Quemadmodum igitur prior illa opinio, Platonis maxime ut viſum eſt, auctoritate nititur, ſic iſta quam nunc expendimus, in Ariſtotelis potiſſimum judicio, quo nullum ad pervidendas eorum quæ naturæ ambitu continentur, rationes illuſtrius fuiſſe conſtat, fundamentum ponit diſputationum ſuarum. Præterea ſic cauſas disjungit Plato, ut poetas, aut artis ſubſidio omnia præſtare, aut Deorum afflatu oportere cenſeat; Ariſtoteles autem poeticæ omnis laudis fontem aut in arte, aut in hominis ipſius natura conſtituit: ὁ δ᾽ Ὅμηρος (inquit) ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ᾽ ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην, ἢ φύσιν. *Homerus quemadmodum in aliis excellit, ita & hoc quam optime perſpexiſſe videtur; ſive artem habuit ducem, ſive naturam.* Ut Plato ἐκ Μουσῶν κατοχὴν, θείαν δύναμιν, θείαν μοῖραν, hoc eſt, *occupationem à Muſis vim divinam, ſortem divinam* (tot enim

enim vocibus in Ione utitur.) Sic Ariſtoteles εὐφυΐαν, hoc eſt, *ingenium capax*, & ecſtaſim melancholicam commendat, hocce effato, εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ. οἱ μὲν γὰρ εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί. Ita hanc ultimam vocem lego, non quam vulgati codices habent, ἐξεταστικοί, quæ prorſus aliena ab hoc loco. μανικὸν autem, hoc eſt, *furibundum* intelligo, non qui numine afflatur, aut alienos cogitatione induit mores, & imitatur, ut male Robortellus exponit, ſed qui proclivi corporis temperamento ad furorem, cito inflammatur.

Sic idem Ariſtoteles in 30. ſectione quæſtionum naturalium, Syracuſanum quemdam poëtam, nomine Maracum, nunquam melius ſcribere ſolitum refert, quam cum bilis aduſtæ motu extra ſe poſitus inſaniret. Immo vero non alio naturæ pignore eximios in artibus viros, & quovis ſtudiorum in genere præſtantes fieri docet. Adeoque humoris illius vim, temperamentique indolem melancholici miratur, ut illi vatum etiam impetus, & præſenſiones rerum futurarum adſcribere haud vereatur; ſiquidem ex iis quæ in eo problemate habet, ipſius de vaticinii cauſis ſententiam æſtimare licet. Sed quid de cauſa quæ vates efficit, ſenſerit, accuratius in noſtris libris de Sibylla & Bacide tractamus.

Quod autem ad poëticum furorem attinet, huic humori magnam vim ineſſe ad eum furorem excitandum, multa confirmant. Nam & melancholicos eſſe ingenioſos ibidem Ariſtoteles pronuntiat, qui quidem tales natura, non morbo; neque ita affecti, ut in iis ater ille humor ultra id quod natura ferre poteſt, dominetur. Eoſdem inſuper cogitabundos eſſe conſtat, immenſæ imaginationis, miras animo verſare imagines, non modo in ſomnis, ſed etiam interdiu vigilantes. Quæ cauſa eſt, ut omnes fere ſolitudine gaudeant, Bellerophontis ritu, quem in ſolis vagantem locis, & hominum veſtigia fugientem Homerus inducit. Quod adeo cenſetur melancholicum, ut vel hoc indicio poetas ejuſdem humoris pene mancipia haud dubitem pronuntiare. Nullum quidem hominum genus magis gaudere ſeceſſu, præſertim virentium locorum, qualia nemora ſunt, & montes umbroſi, vel ſcripta eorum indicant, talium rerum picturis paſſim ridentia. Nec mirum optime ab iis & libentiſſime deſcribi loca, in quibus ipſi errare & latere amant. Hinc illa Maronis exclamatio,

O qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra.

Item.

Flumina amem ſilvaſque inglorius.

Horatius;

Me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo.

Et rurſus.

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

Quid porro vetat, me hîc quæ ſentio, eloqui: profecto quiſquis ingenio preditus ſolitudinem amat, & ſolus diu jucunde vivere poteſt, is aut poëta ſit, oportet, aut Philoſophus. Eſt autem ingenium poeticum confine, vel potius conſanguineum Philoſophico, ſolis numeris & tractandi modo differens; primamque ſapientiæ lucem ex illis Muſarum antris effulſiſſe conſtat.

Si melancholici ingenio valent, ſi cogitabundi ſunt, ſi ſolitudinis amantes, ſi mirifica animo ex temperamenti proprietate concipiunt, ſi, quod pene præterii, nulli magis ſonis inuſitatis, & muſicis concentibus moventur, ſi denique tota naturæ poteſtate ad ecſtaſim & furorem declinant, quid alias quærimus cauſas furoris poëtici? Quid opus ad altiora & divina principia confugere, poëticarum inventionum miniſtros è cælo devocare Genios, ubi tam evidentes in ipſa hominis conſtitutione cauſas no-

bis natura pene manibus palpandas præbet?

Quid autem eſt in univerſa hacce poëtarum ambitione & ſtudio, quod humani excedere ingenii limites jure dici poſſit? Illane quæ poëtæ ſibi tractanda proponunt? At non video, quid hæc ab iis differant, in quibus hiſtorici verſantur; quæ Medicorum libris continentur, quæ geographos & aſtronomos, aliarumque artium profeſſores in ſui contemplatione detinent; atque ut cæteros omittam, an non idem oratoribus, quod Poëtis jus eſt de omnibus divinis & humanis rebus dicere, quibus tamen nemo neceſſarium numinis afflatum ſomniat?

At forte non res, ſed modus tractandi negotium facit, & poëtas ad extraordinariam Dei opem cogit confugere. Quibus ſcilicet (ut ille inquit) non ſatis eſt res verſibus comprehendere, ſed per ambages, Deorumque miniſteria præcipitandus eſt liber ſpiritus', ut potius vaticinatio appareat, quam rei geſtæ ſub teſtibus fides. Quod à Petronio dictum eo fidentius propoſui, quod Ariſtotelis etiam ſententiæ conſentaneum eſſe intelligo; qui poeſin omnino eſſe negat ſine fabula. Atqui idem ſummus magiſter, omnium quæ Poëtæ promittunt, principia & fontes in hominis

natura demonſtrat: primum quidem innatam ei facultatem quodcumque objectum eſt, imitatione conſequendi: præterea vim, quicquid volumus, animo & cogitatione informandi. Quæ vis quam late pateat, quantumque iis formis, quas ſenſus exterior impreſſit, ludat, quantum naturæ illudat, quæ nova monſtra, velut altera Africa, ſine fine procreet, quas nubes, quas præſtigias menti offundat, nemini non propria experientia notum eſſe arbitror. Valet enim ex eo theſauro formarum ſenſibus perceptarum, quem apud ſe habet, omnimodas promere colorum, figurarum, locorum, temporum differentias, aliorumque adjunctorum, quibuſcunque res aliqua circumſcribi poteſt, quas pro arbitrio componat. Ita illi innumeræ emergunt naturæ ignotæ facies, Hippocentauri, Harpyiæ, Geryones, chimæræ, oves aureo vellere inſignes, mala aurea arborum ramis pendentia, & quo nihil monſtroſius, Deus, Geniique, & virtutes humanis lineamentis deformatæ, tum alia id genus fabulis prodita. Quod conſiderans Olympiodorus, is qui Meteorologica Ariſtotelis commentariis illuſtravit, partem eam animæ noſtræ fictricem, aliquid eſſe μυθῶδες, *fabuloſum*, immo fabulam quandam á natura inventam cenſet: καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς ἐστί τι μυθῶδες, οἷον ἡ φαντα-

σία. καὶ αὕτη οἱονεί τις μῦθός ἐστι· καὶ γὰρ μύθους ποιεῖ, μορφοῦσα τὰ ἄμορφα, καὶ σχηματίζουσα τὰ ἀσχημάτιστα, ὡς καὶ ὁ μῦθος τοῖς ἀσωμάτοις σῶμα καὶ πάθη, καὶ ὅσα τοιαῦτα περιτίθησι. I. *Tum in natura eſt aliquid fabuloſum: pars ſcilicet animæ qua imaginamur. Hæc enim fabula eſt quædam. Fabulas profecto componit; dum formam iis quæ forma carent, figuram figuræ expertibus de ſuo largitur. Quo pacto, fabula incorporeis corpulentiam & affectiones, cæteraque præter naturam affingit.*

Atque hæc de facultate animæ noſtræ, quid vis imitandi, & fingendi, quæ quantum in poeticis valeat, nemo non videt. Sed & aliud in eadem anima noſtra principium Poëtices agnoſcit Ariſtoteles: quæ ea conditione in ortum proceſſerit, ut non ſolum numeris, ut ſuperius dictum eſt, moveatur; ſed etiam iis ſponte utatur, iis omnes corporis ſui motus, vocem, ſermones naturaliter terminet ac moduletur. Quod cum in alia omni animi noſtri effectione, tum maxime in poeticis operibus apparet, vario metrorum genere diſtinctis, quo nihil ſuavius, nihil ad mentes movendas efficacius auribus accidit. Patet igitur ex his nihil eſſe in poetarum vel præſtantiſſimis inventis & compoſitionibus, cujus non idoneæ in hominis natura cauſæ demonſtrari poſſint. Nam, quem omnes poetis ἐνθουσιασμὸν tribuunt, non aliunde

oritur. Iam enim oſtendimus, eam eſſe vim imaginum quas phantaſia concipit, ut ſi ſint expreſſiores, quales ſane melancholici habent, nihilo ſecius animum, ac res ipſæ percellant. Quod pridem ab Ariſtotele proditum, in libro de Animalium Motione, oratores admonuit, qua induſtria ſibi primum affectus, deinde aliis concitare debeant. Cujus rei conſequendæ una hæc ratio eſt, ſi is qui loquitur, vim mentis acrius in ea rerum ſimulacra intendat. Hac arte oratores lacrymas ſibi, hac auditoribus excutiunt: his facibus concionem ira inflammant; judices vel perſpicaciſſimos objecta affectuum nube à veri contemplatione abſtrahunt. Itaque non omittunt tam utile ſecretum dicendi magiſtri, in artis præceptis: de quo & Fabius ſic in inſtitutionibus: *Quas* (inquit) φαντασίας *Græci vocant*, *nos ſane viſiones appellemus*: *per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo*, *ut eas cernere oculis*, *ac præſentes habere videamur*. *Has quiſquis bene conceperit*, *is erit in affectibus potentiſſimus*.

Atqui nihil aliud eſſe ἐνθουσιασμὸν; neque aliter excitari, haud dubiis bonorum authorum locis oſtendi poteſt. Ariſtoteles quidem de concitato dicendi genere agens in 3. Rhetorices; *Nomina* (inquit) *epitheta*, *tum duplicia plura*, *tum peregrina maxime*

conveniunt, ex affectu orienti. Venia enim datur irato, ſi malum οὐρανομήκης*, cælo æquale, aut* πελώριον *(ita Theſſali ſua lingua immenſum dicebant) appellet.* Et mox; καὶ ὅταν ἔχῃ ἤδη τὸν ἀκρατὰς, καὶ ποιήσῃ ἐνθουσιάσαι ἢ ἐπαίνοις ἢ ψόγοις &c. Rurſus: φθέγγονται γὰρ τὰ τοιαῦτα οἱ ἐνθουσιάζοντες. 1. *Ita enim loquuntur furore perciti.* Quo ſane apparet nihil aliud eſſe ἐνθουσιάζειν aut ἐνθουσιᾶν, quam vehementius & uſque ad ecſtaſim movere. Eodem ſenſu & Ælianus id verbum uſurpat in 2. ποικίλης ἱστορ. in hiſtoria Menalippi: ὁρῶν δὲ αὐτὸν ὁ Χαρίτων ἐνθουσιῶντα, καὶ ὑπὸ τῆς ὀργῆς ἀναφλεγόμενον. *Hunc autem videns Charito furentem & ira inflammatum &c.* Sed & Georgius Piſides, poeta Chriſtianus, qui ſub Heraclio Imperatore floruit, apud Suidam.

> καὶ τὰς ἀθέσμους ἡδονὰς τοῦ βαρβάρου
> ἐνθουσιώσας τῇ πυρώσει τῆς μέθης.

Cum nefandas barbari libidines vinolentiæ ardore concitaſſet. Ita non modo divinum, ſed & quemlibet vehementiorem animi affectum, immo vitioſum & turpem, nomine ἐνθουσιασμοῦ comprehendebant. Quamobrem & laudata opera magnorum opificum, tabellas ſcilicet, & ſimulacra, non ſine furore divino perfecta dicebant: ut Plutarchus tabulam quandam Euphranoris Pictoris in lib. de Athenienſium præſtantia: γέγραφε δὲ καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ πρὸς Ἐπαμινώνδαν ἱππο-

μαχίαν

μαχίαν, ἐκ ἀνενθουσιαςῶς. 1. *Pinxit vero & pugnam equeſtrem, qua ad Mantineam conflictum eſt contra Epaminondam, non ſine afflatu divino.*

Immo vero ipſum animæ impetum, incitationemque ad motum quemvis localem ſpontaneum ; quem Græci ὁρμὴν vocant, quod quandam animæ illuſtrationem à phantaſiæ imaginibus ſequatur, ἐνθουσιαςμὸν dici poſſe ſupra laudatus Meteorologicorum Ariſtotelis interpres in operis præfatione indicat. ὥσπερ γὰρ ζῶον ἐνθουσιῶν, καὶ ὑπὸ τῆς ψυχῆς ἐλλαμπόμενον ὑπὲρ φύσιν κινεῖται ἐπὶ τὰ πλάγια κινούμενον. &c. 1. *Sicuti enim animal divino ictu percitum, & animæ divinitate afflatum &c.* Quid plura ? Marcus Tullius vir doctiſſimus, qui optime Græcorum in hac voce & aliis uſum callebat, nihil aliud poetici enthuſiaſmi nomine intelligit, præter animi quodam ſcribendi pruritu geſtientis alacritatem. Duæ ſunt epiſtolæ in iis quas ad Quintum fratrem ſcripſit, ex quibus id colligas ; utraque in tertio libro : in priore quæ his verbis incipit ; *Gabinius abſolutus eſt* ; ſic fratri excuſat, quod hortanti ut verſus faceret, non obtemperet. *De verſibus, quos tibi à me ſcribi vis, deeſt mihi quidem opera, quæ non modo tempus, ſed etiam animum vacuum ab omni cura deſiderat : ſed etiam* ἐνθουσιασμοῦ. *Non enim ſumus omnino ſine cura venien-*

tis anni. In ea autem quæ ſequitur, eandem rem agens : *Facerem tamen* (inquit) *ut poſſem : ſed (quod te minime fugit) opus eſt ad poema , quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt.* Quibus verbis aperte, quem in priore epiſtola ἐνθουσιασμὸν dixit, quandam animi alacritatem exponit. Hæc ideo variis ex auctoribus proferre viſum eſt, ne quis vocabulo deceptus ad plura quam oportet , numinis afflatum extendat.

Quod autem tam multis & huic ſecundæ opinioni patrocinatus ſum, tanquam plane illi accederem, exemplo Ariſtotelis feci, qui priuſquam aliquam opinionem evertat, omnibus modis eam illuſtrare conatur, nihil omittens, quod ad ejus confirmationem pertinere videatur. Quod non dico, quia putem hæc quæ pro illa diſſerui, omnia eſſe repudianda. Immo multa ex his, rationi admodum conſentanea eſſe fateor. Ut quæ de naturali poetarum facultate, ac bilis atræ ad faces ingenio admovendas, & divinos animorum impetus opportunitate diſſerui. Hæc enim plane vera ſunt, neque tam importunus ſum, ut quæ tam bene ſunt poſita, movere velim. Solùm peto, ut his ſalvis mihi liceat libertate philoſophica uti ad novas ſuſpiciones exercendas; immo vero veteres evocandas è Platonis fontibus

ſupra laudatis. Cui mihi injuriam facere videntur, qui hunc ex paucis dictis, perperam intellectis, atque adeo ex orationis ſuperficie & verborum, ut ita dicam, cortice, in ordinem cogunt. Et quia in Ione de poetarum & rapſodorum facultate diſputans, duas omnino conſiderat cauſas; artem videlicet, quam iis derogat, Deorum afflatum, quo ſolo eam facultatem contineri dicit; hoc nomine conveniunt Platonem, ceu naturam ex eorum quæ ad poeſim faciunt, cenſu omnino expunxerit; vel certe omiſerit. Ita namque iis artem detrahit, ut continuo præſentiam numinis tribuat. Ceu alterutrum eſſet neceſſarium, & arte auferenda, id quod divinius eſt, vi diviſionis, ut in iis quæ ἀντιφατικῶς opponuntur, ſequi neceſſe eſſet. Quod ſane ſi in mentem Platoni veniſſet, turpis paralogiſmi notam non effugeret.

Verum talis amentiæ ſuſpicio in tantum virum non cadit. Quamobrem autem nihil expreſſe de poetico ingenio habeat, in eo dialogo, commodius infra dicetur; nunc quod εὐφυΐαν, hoc eſt, naturæ opportunitatem, quemadmodum Ariſtoteles, in poetis agnoverit, prolatis ejus tabulis oſtendam. Qua in conſideratione occurrit primum locus ille in Phædro, quo tertium furoris divini genus: hoc eſt, poëti-

cum tradit: τρίτη ἀπὸ μουσῶν κατοχή τε καὶ μανία λαβοῦσα ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν &c. *Tertia occupatio, furorque à Muſis, cum mollem & inacceſſam comprehenderit animam &c.* Scio videri hæc vulgo eruditorum parum animadverſione digna; cui mos apud Platonem prolatis rebus feriari. Nos data occaſione in lucem proferemus. Quid eſt igitur mollis anima? Cui minimum inhæret terrenæ concretionis, quam ut gravitatis, ſic rigoris & contumaciæ ad reſiſtendum, quod uno verbo duritiem dicimus, principium eſſe Phyſici docent. Hac enim apud ipſos præſcriptione mollities in corporibus intelligitur. Non quod ea ſit animæ natura quæ ullam ex elementis coagmentationem admittat, ſed quod permagni ad ejus vim præſtantiamque interſit, qua ſit temperatum lege id corpus quod informandum ſuſcepit. In quo ſi multum terra excedat modum aliorum elementorum, non poſſit non oneri eſſe animæ craſſities, & terrena gravitas membrorum: quanto ſcilicet remotior terræ natura eſt à divina animæ ſimplicitate, quàm aut aqua, aut aer, aut ignis, ſpiritusque ignei, propiora animæ inſtrumenta.

Non igitur anima proprie eſt mollis, ſed ita vocatur, quadam ſimilitudine & habitudine ad corpus proprium. Quemad-

modum enim corpus terræ paucitate, aliorum elementorum copia molle efficitur: tale autem dicitur, quod facile tangentis impulſui cedit; quo fit ut magis etiam ſe qualibet forma exteriore circumſcribi patiatur: haud aliter anima talem nacta corporis indolem, magis fit capax formarum ſibi congruentium; quas ſcilicet aut abſtrahit per ſenſum à rebus externis, aut ſegregatas à materia intellectu uſurpat, aut forte divina oblatas arripit. Quæ conſideratio plane in ſententiam Ariſtotelis incidit, qui εὐφυεῖς μαλακοσάρκους, ingenioſos, molli carnis habitu eſſe dicit in 2. de anima.

Nunc quid eodem loco ſit anima ἄβατος, *avia, inacceſſa*, exponam. Sic exiſtimo, ut mollities animæ aſſignatur, quadam ſimilitudine & analogia ad ſuum corpus, ut modo viſum eſt: ſic à locorum quadam conditione, hanc qua ἄβατος dicitur, proprietatem illi eſſe tributam. Nempe locus aliquis ἄβατος dicitur, quo nemo aut perpauci accedunt, qualia ſe Muſarum loca peragrare Lucretius dicit libro 4.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Sunt autem ejuſmodi in primis rupes excelſæ, & prærupti vertices montium. Quod tranſlatum ad animam, quendam, meo quidem judicio, ſignificat ſuperbiæ meri-

tis quæſitæ faſtum, atque impromiſcuæ dignitatis receſſum in poetis, quo fit ut nec ſtudia indifferenter omnia admittant, neque ſe curis quibuſlibet contingi patiantur. Atque hæc mihi quodam furore expreſſa confirmat alius Platonis locus in Ione, de poetico ingenio: κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστι, καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν. *Levis enim res eſt poeta, & volatilis, & ſacra.* Hic conſideret, quæſo, mecum lector ſtudioſus, quam bene omnia Platonis in adumbrandis ingenii poetici proprietatibus, inter ſe dicta concinant. Primum quidem poetæ animam mollem eſſe dicit. Quo cæleſtem ejus naturam minimum terrenæ concretions habentem innui diximus: in altero autem eandem rupibus inacceſſis ob ſublimitatem comparat. Nunc levem dicit metaphora ab iis ducta corporibus, quæ quod ſemper ſuperiorem inter alia locum vindicent, levia proprie dicuntur; qualis aqua eſt reſpectu terræ, aer reſpectu aquæ, ignis ſimpliciter, qui ſolus ponderis expers cætera omnia ſupereminet. Neque eo contentus, volaticam inſuper appellat. Sunt autem volucria animalia, quibus alas tribuit natura ad volandum, ut intelligamus volucrem ſuo modo eſſe animam poetæ, alaſque habere, non quales avitium genus, ſed quibus ad rerum divinarum ſedem contemplatione evolet.

Quam eſſe naturam alæ Plato in Phædro docet his verbis: ἡ δὲ τοῦ πτεροῦ δύναμις τὸ ἐμβριθὲς ἄγειν ἄνω μετεωρίζουσα, ᾗ τὸ τῶν θεῶν γένος οἰκεῖ. *Poteſtas vero alæ in eo conſiſtit, ut gravia ſurſum attollens, eo convertat, ubi Deorum genus habitat.* Quibus autem anima ita eſt in ſublime erecta, & divinis inhærens, quis dubitet ſacros vocare?

Nec minus certum quod ex Platonis Charmide deducitur, cum Socratem inducit ſermones cum Critia conferentem de charmidæ adoleſcentis ingenio, cujus inter dotes audiens Socrates laudari ſtudium rerum poeticarum, ſic interloquitur: τοῦτο μὲν, ὦ φίλε Κριτία, πόῤῥωθεν τὸ καλὸν ὑμῖν ὑπάρχει ἀπὸ τῆς Σόλωνος συγγενείας. *Id quidem vobis, ô Critia, decus à Solonis proſapia hereditario jure obvenit.* Si indoles poetica à majoribus ad poſteros tranſit, quis non vel hoc argumento, neceſſarium fateatur, latere ejus facultatis principia in ſtirpe, ex qua cujuſque hominis genus & familia propagatur.

Nunc mirabere qua ſit ratione factum; ut nuſquam Plato in eo dialogo, quem ſibi propoſuiſſet, in quo ex profeſſo de furore poetico traderet, ingenii poetici mentionem faciat, unum Deorum afflatum cauſetur. Poſſem illud Procli afferre, de Platonis more in philoſophia, ex com-

ment. in Timæum, ἴδιον ἐςὶ (inquit) τῆς Πλατωνικῆς φιλοσοφίας τὸ τῶν θεῶν ἐξάπτειν, πᾶσαν τὴν γένεσιν. *Eſt* (inquit) *proprium Platonicæ philoſophiæ, generationis omnis rationes referre ad Deos.* Poſſem & quod Longinus in libro de ſublimi genere orationis cap. 13. *Quoties duo in unum conveniunt, ſemper illud quod præſtantius eſt, alterius vim in ſe tranſmovet.* Non laudat naturam Plato in eo dialogo, quia hæc cauſa parvi momenti, præ ea vi, quam Deus cælitus inſpirat. Sed mihi potior videtur ſolutio, ut dicamus, ideo præteritam ſilentio naturam, quod parum intereſſe videret propoſiti, Deumne an naturam poeticæ facultatis auctorem laudaret; quippe qui id unum ſpectaret, ut perſuaderet Ioni rhapſodo, quod poetæ pręclara illa pariant, rhapſodi enarrent, non arti ulli aut ſcientiæ eſſe adſcribendum, ſed aliis cauſis: puta aut naturæ proprietati, aut divino afflatui: tamen eam cauſam potius celebrandam putaſſe, quæ præſtantior, & qua intellecta, cuivis de altera, ipſius rerum ordinis lege & conſequentia notum eſſe poſſet. Neque enim Deus quenquam ad munus ullum vocat, quem ei imparem muneri, & male aptum novit, ſed idoneos tantum & accommodatos. Nempe ſapientiſſimus & ſuavi providentia naturam omnem diſponens, indolem in omnibus ſpectat, quid

unum-

unumquodque ferre, quid nequeat. Non quia non poſſit ubi vult, ſpirare; quod aliquando facit*; ſed quia ordinis inventor, ordinem in agendo ſemper, quoad ejus fieri poteſt, ſequitur. Quam eſſe cauſam putandum eſt ejus varietatis quæ in hominum ingeniis apparet; ut eſſet ordini & pulchritudini locus. In conſimilibus enim omnino & indiſcretis ut nulla diſtinctio, ſic neque diſpoſitio & ſplendor pulchritudinis eſſe poſſet.

Quorſum igitur hæc diſputo? Ut intelligatur nullum eſſe argumentum, ut qui poetas nihil præclari ſine numinis afflatu facere poſſe dicat, continuo naturæ in iis vim & poteſtatem negare cenſeatur: cum ex dictis unum ex altero ſequi pateat. Sed quæritur, qua conjectura adductus Plato præter vim naturæ, quam ut oſtendimus, agnovit, neq; obſcure eſt profeſſus, cum hanc à divino numine profectam conſtet, inſuper θείαν μοῖραν, hoc eſt, *Sortem divinam*, & quam κατοχὴν, *occupationem à Muſis* vocat, requirat? Ceu natura in bene natis & ingenioſis hominibus non ſufficiat. Id ſane explanandum eſt, in quo præcipua eſt difficultas, ac, ut exiſtimo, totius cardo diſputationis verſatur.

Primum, quo aliquis fortaſſe effugio ſe poſſe evadere ſperet, ut θείαν μοῖραν apud

Platonem à naturali ingenii opportunitate haud diverſam cenſeat, id nihil eſſe, certis Platonis locis probari poteſt, quibus ſortem ſeu fatum divinum propalam à propria cujuſque hominis natura diſtinguit. Quo in genere illud ſtatim occurrit in dialogo, qui inſcribitur Meno, ſive de virtute: εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς ἐν παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ οὐκ ἂν εἴη, οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ. *Si autem nos in iſta omni diſputatione recte perſcrutati ſumus, & diſſeruimus, virtus utique nobis neque natura, neque doctrina, ſed potius divina ſorte contingat.* Eadem diſtinctio probatur Alcinoi Platonici verbis in Introductione: tametſi magiſtro adverſari videtur, ſed non in hac diſtinctione de qua nunc agitur: οὐδὲ γὰρ ἂν ἐπαινετὸν ἦν τὸ καλὸν, εἰ ἐκ φύσεως, ἢ τινὸς θείας μοίρας παρεγίνετο. 1. *Neque enim eſſet quod honeſtam actionem laudaremus, ſi à natura aut quapiam ſorte divina penderet.* Ubi perſpicue negat virtutem accidere hominibus, aut natura, aut θείᾳ μοίρᾳ, *ſorte divina*: non igitur idem ſors divina, quod natura. Cum tam aperte unum ab altero disjungat.

Hæc etiam diſtingui ex his colligas: ſemper naturæ facultas unum quodpiam definitum functionis genus reſpicit, ad aliquam artem, ſtudiumque pertinens: non autem aliquid particulare & individuum.

Atqui divina ſors particularia etiam attingit, ut quod Io rhapſodus ex univerſo Poëtarum cœtu, unum Homerum bene interpretetur: quod Socrates ſibi divina ſorte mandatum ait, ut cum Alcibiade verſetur, ut eſt apud Maximum Tyrium Diſſert. 22. θεία μοῖρα δέδοται μοι, πρὸς Ἀλκιβιάδην ὁμιλίαν.

Præterea, quod multa θεία μοῖρα fieri conſtat, ſecus quam mentis humanæ ratio dictat, quæ proinde illi aut plane adverſantur, vel certe captum ejus ſuperant. Vt quod Socrates, omnes ſui temporis eruditos, ac quandam ingenii & ſapientiæ opinionem adeptos ſuis interrogationibus offendat, hocque modo omnium in ſe odia concitet, quibus tandem ſuccubuit. Quod item depoſita omni ſuorum & rei familiaris cura, totam ætatem in foro, in palæſtris, & aliis locis publicis diſputando conterat. Quod ipſe in Apologia, naturæ humanæ captum excedere fatetur, ac ſorti divinæ adſcribit. *Me vero* (inquit) *eſſe ejuſmodi, ut ſim dono Dei civitati tributus, hinc poteſtis animadvertere. Id enim profecto captum ſuperat, me depoſita omnium quæ ad me attinent, cura, in tali rerum domeſticarum negligentia adhuc perſiſtere tot annos, ut omni tempore veſtrum negotium agam; privatim accedens ad unumquemque veſtrum, velut pater aut major;*

natu frater, ut vobis virtutis curam eſſe agendam perſuadeam.

Cùm igitur ſuum iſtud inſtitutum tam palam ſupra hominem eſſe dicat Socrates, interim eadem in apologia divinæ ipſum ſorti non minus aſſeveranter adſcribit: id ſcilicet ſibi eſſe injunctum munus, cum vaticiniis, tum inſomniis, omni denique ratione, qua unquam alicui θεία μοῖρα, & ratio ſuprema aliquid agendum præcepit. Atque ex his locis inter ſe collatis apparet, ſortem divinam in dogmate Platonis diſtingui ab hominum naturis; parum proinde alicui prodeſſe ingenium qualecumque ad verum laborem, niſi aliquid menti natura ſuperius atque divinius interveniat. Quod quibus conjecturis animo ejus inſederit, majore nunc ſtudio inveſtigandum eſt. Neque enim putandum eſt aliquid tanto viro, præſertim tam inopinatum, ſine valida ratione placuiſſe. Ac quibus argumentis in Ione numinis afflatum poëtis aſſerat, abunde ſupra explicatum eſt. Quæ autem nunc mihi ad ejus ſententiæ confirmationem in mentem veniunt, proferre liber.

Enimvero cum multa mihi in hac contemplatione occurrant ſpectanda; tum illud inprimis, quod ſemper ſum admiratus, ingens ſcilicet illa diverſitas, quæ in hominum ingeniis apparet. Quæ tanta eſt, ut quidam

alli comparati vix homines videantur. *Dii immorales*(inquit ille apud Comicum) *homini homo quid præſtat. Stulto intelligens quid intereſt!* Nos non id agimus quid ſtulto intelligens præſtet, ſed quid intelligens intelligenti, poëta poëtæ, philoſophus philoſopho, orator oratori, princeps principi, & ſic de aliis magnis artibus. Nobiliſſimos quocumque in genere ſpectamus,& principatus ingeniorum. Vt igitur cæteros omittam aliis ſtudiis præſtantes, & facile principes, qua factum dicam ratione, ut in tanta bonorum poëtarum multitudine quos Græcia extulit, unus Homerus tantum ſit facultatis complexus, ut fons & caput omnium poëticarum inventionum, cæteri omnes ei comparati, rivuli tantum, & lacunæ habeantur? Auget admirationem Velleius Paterculus de eodem loquens: *Clariſſimum deinde* (inquit) *Homeri illuxit ingenium ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum & fulgore carminum, ſolus appellari poeta meruit. In quo hoc maximum eſt, quod neque ante illum quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt. Neque quemquam alium, cujus operis author primus fuerit, in eo perfectiſſimum præter Homerum, & Archilochum reperiemus.*

Hæc, inquam, augent miraculum. Quis

enim non aliquid in Homero humana ſorte majus ex iis verbis agnoſcat, cum audit hunc in eo opere, cujus author primus fuerit, virtutis metam conſecutum? Excedit profecto hæc felicitas, naturæ facultatem, cui conſuetum rudia primum edere, quæ proceſſu temporis meliora reddat, donec ad finem perduxerit. *Nec quidquam* (inquit Apuleius) *omnium eſt, quod poſſit in primordio ſui perfici, ſed in omnibus ferme ante eſt ſpei rudimentum, quam rei experimentum.* Idem de Virgilio dicerem, niſi ante ſe Homerum & alios complures, quos imitaretur, habuiſſet. Qui tamen omnes Romanæ gentis poëtas tanto poſt ſe intervallo reliquit, ut ejus inacceſſæ divinitatis quam omnes in Homero adorant, partem ſibi optimo jure vindicet. Sunt enim hi duo Parnaſſi vertices, ſed adeo ardui & inacceſſibiles, ut nullus abhinc tot ſeculis repertus ſit, qui illuc pervenire poſſet.

Hæc profecto tam enormis ingeniorum in natura communi diverſitas, vel pertinaciſſimos cogit credere, aliquid coryphæis illis intervenire divinum, quod eos ab aliis omnibus ſecernat. Quod qui negant, velim mihi aliquam ſi poſſunt, idoneam in hominum naturis cauſam tantæ inæqualitatis oſtendant. An igitur exquiſitiorem temperamenti modum afferent? At quis adeo

ſupinus, ut caducis elementis ex quibus corpus hoc fortunæ ludibrium conſiſtit, tantum juris in mentem tributum putet? aut talium rerum conventu ullo fieri poſſe, ut aliquis eo cogitatione aſcendat, quo nemo alius quavis mentis intentione & ſtudio pervenire poſſit? Quamobrem neque audio talem ingenii præſtantiam bilis atræ proprietati tribuentes, in qua aliquid eſſe non nego, ad mentis impetum; ſed non ad eam divinæ mentis ſublimitatem. Multo minus ſtellas putem bene diſpoſitas, naſcentibus ejus amplitudinis primordia indere. Valeat mathematicorum cælum, cujus adhuc jura poſt tot diſputationes, magis ab ejus adoratoribus creduntur, quam intelliguntur. Quibus cauſis ut parum idoneis, ab hac conſideratione rejectis, una reſtat divina lex in diſtinguendis animorum proprietatibus, ac moderandis hominum rationibus, quam Plato θείαν μοῖραν, Virgilius fatum deorum vocat.

Filius huic fato Divum proleſque virilis
Nulla fuit.

His accedit alia conjectura non minus urgens & efficax à conſtantia quam poetæ in ſtudiis oſtendunt; quæ tanta eſt, ut nulla conſideratione ab iis dimoveri poſſint. Cum enim, ut initio dictum eſt, & experientia probat, nullum fere ſit infructuo-

ſius & ſterile magis ſtudium, in illo interim conſtanter perſeverant: parentum & amicorum conſilia contemnunt, ut Ovidius patris, qui hunc ab inutili labore revocare volebat, ut ipſe in quadam elegia teſtatur. Procerum faſtus, vulgi ludibria ſuſtinent, immo omnium malorum extremam paupertatem; ut olim Ennius Cicerone teſte: *Qui annos ſeptuaginta natus, ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem & ſenectutem, ut eis pene delectari videretur.* Quis igitur hunc animi habitum divinum neget, qui ratione rationem obruat? Et quomodo, niſi quia divina humanam? Quid enim ratione potentius quiſquam dixerit præter Deum? Sic divinus Socrates eadem vi ſuperiore impulſus indignante populo Athenienſi, quem equo ingenti comparat, & in magiſtrum recalcitrante, philoſophabatur; cumque mortem ſibi imminentem videret, nihilominus in propoſito perſtitit.

Quid porro de artium inventis dicam? De impetu ejus, cui primum de typis librariis in mentem venit? quod nemo ante cogitaverat. Aut ejus qui primus Herculei lapidis vim qua polos ſpectat, deprehendit? aut illius qui exinde terram magnum eſſe magnetem vidit. Taceo de bombarda. Eſt enim peſtiferum inventum, & à cacodæmone

ut

ut arbitror, inventum. Certe medicæ herbarum vires tam abſtruſæ, quomodo aliter, quam divino afflatu in hominum notitiam adduci potuerint, non video. Ne Plinius quidem licet in naturæ obſervatione totus, harum nonnullas divinitus monſtratas negare potuit; tametſi nonnullas caſu fateatur, ſed ipſomet judice minus vere, quod verba ejus indicant lib. 25. quibus cur non plures inventæ, miratur: *Accedit* (inquit) *ratio inventionis anceps. Quippe etiam in repertis, alias invenit caſus; alias, ut vere dixerim, Deus.* Cui conſonum, quod lib. 8. unicum rabidi canis morſus remedium oraculo indicatum refert, ſilveſtris roſæ radicem, quam Græci cynorrhodon vocant. Id oraculum ſomnium fuiſſe docet libro illo 25. cap. 2. quod cuidam mulieri oblatum, filium ejus, qui procul militabat, jam ex morſu canis incipientem aquas expaveſcere, ſanavit. Vt ex his etiam intelligatur, non eſſe vana illa à nobis ſupra de ſomniis divinis notata, neque id genus eſſe divini afflatus dubitetur.

Atque his fateor me adduci ut credam, multo plures non modo poetas, ſed etiam alios impelli divinitus, quam vulgus putat; nullamque eſſe humanæ vitæ partem, quæ non ſorte divina, & numinis impulſu regatur. Verum alii manifeſtius, alii obſcurius

H

eam vim ſentiunt. Quemadmodum enim cæleſtium corporum virtus, cum totum hunc mundum inferiorem pervadat, non tamen æqualiter unũquodque movet (neq; enim pari deſiderio omnes Solem proſequuntur flores, ſed unus manifeſtiſſime, qui inde nomen ſortitus: non omnis arbos folia ipſo tropici æſtivi die invertit, ſed ſalix dumtaxat: non quęvis herba avulſa & in tectis repoſita brumali die flores emittit; ſed unum pulegium: non omnes deniq; aquas luna ſuſpendit, ſed quędam tantum maria.) Sic profecto non omnes mortales pari evidentia moveri divino influxu arbitrandum eſt, ſed quorum anima magis hujus capax. Quo in genere eſt imprimis poëtica, quam propterea Plato, ut vidimus, mollem delicatamq; vocat in Phædro; quod magis cedat impulſui divino; quo etiam ſpectant epitheta levis, & volatiiis in Ione.

Syneſius autem Platonicus in epiſtola ad Philoſopham, hanc à divino aptæ principio animæ συμπάθειαν perelegantí ſimilitudine declarat nobis. Qui enim ita natura affecti ſunt, ut magis pateant divino influxui, & radio illuſtrentur, comitialibus comparat, qui ſtatis temporibus ſidere afflati concidunt: τὸ μὲν γὰρ σεληνιακῆς αἰτίας ἀποψύξεων, οἱ νοσοῦντες ἐπιληψίαν αἰσθάνονται μόνοι· τῶν δὲ κατὰ νοῦν ἐπιβολῶν μόνοι δέχονται τὰς ἐλλάμψεις, οἷς

ὑγιαίνουσι τὸ νοερὸν ὄμμα φῶς αὐάπτει συγγενὲς ὁ θεός. *Refrigerationes à lunari cauſa profectas ſoli ſentiunt, qui comitiali morbo laborant; earum autem quæ menti incidunt, notionum atque comprehenſionum fulgores ſoli ii ſuſcipiunt, quibus mentis oculum bene ſanum & valentem nactis Deus lumen accendit.*

Hancque eſſe cauſam putandum eſt, cur nequeant poetæ quovis tempore, & quoties libet, animi expromere fœtus, ſed ſolum, cum ad eum ſplendorem qui ſemper animis noſtris imminet, excipiendum bene corpore & animo ſunt parati. Quas vices omnibus ingenioſis communes arbitror, licet aliis manifeſtius quam aliis ineſſe conſtet. Ronſardus quidem noſter, quo nemo unquam majori indole ad poeticam acceſſit, ita has vices ſentiebat, ut totos interdum ſex menſes unum tolerabilem verſum facere non poſſet. Quo tempore, ut Plautus de cochleis dicit, latebat in occulto, ac rebus prolatis jacebat expectans, dum ros ille cæleſtis caderet, hoc eſt, furor reviſeret, & tempeſtivitas ſcribendi. Qua appetente, non erat amplius ſui compos, ſed totus furore correptus, ac torrentis more ruens in campos Muſarum, chartas inundabat. Hæc autem illi felicitas non ultra biduum, aut triduum durabat. Quo tempore tranſacto, ad priſtinam communem-

que vulgi conditionem revolutus, pluteo & chartis & Muſis vale dicebat, hocque ingenii quaſi exilio damnatus muſeo ſe proripiebat.

Nihil interim magis ſe admirari dicebat, quam eſſe aliquos, qui quoties vellent, verſus facere poſſent. Ipſe non alio ſe eſſe poetam argumento agnoſcere fatebatur, quam tali ingenii acceſſu & receſſu. Quas vices & priſcis poëtis & vatibus notas fuiſſe apparet ex hymno Callimachi in Apollinem, primis verſibus, quibus θειασμὸν deſcribit. Se enim haud aliter numinis adventu incitari dicit, ac vaticinantes ſolerent; qui nec ipſi poterant ubique vaticinari, ſed cum numen adeſſet quo abſente vox iis faucibus hærebat. Deum igitur ἐπιδημεῖν καὶ ἀποδημεῖν dicebant, modo eſſe præſentem, modo abeſſe, ut Scholiaſtes ad eos verſus Callimachi notat. Idemque colligere eſt ex Statio, initio Thebaidos, & Claudiano, de Raptu Proſerpinæ, & aliis.

Porro & ſanctis viris, nec non divinioris ſortis Philoſophis, eadem furoris divini vadimonia fuiſſe conſtituta, ſciunt qui eorum acta legerunt, qui & Porphyrium in vita Plotini. Tum ipſe Plotinus de ſe teſtatur initio lib. 8. Ennead. 4. qui eſt de animæ deſcenſu in corpora. *Sæpe quidem (* inquit *) experrectus è corpore ad me ipſum &*

extra cætera poſitus, intraque me receptus, pulchritudinem intueor admirandam: ideoque tunc confido, quam maxime ſortis me eſſe præſtantioris: quippe cum vitam tunc optimam agam, & in idem cum divinitate conſpirem. In qua etiam ſitus, ad illam pervenio actionem, per quam me ipſum ſuper omne aliud intelligibile jam conſtituam. Verum poſt hanc mentis in Deo compoſitæ quietem, in humanas ratiocinationes ex mente prolapſus, ambigo equidem, quonam pacto in præſentia quoque deſcendam, & quomodo mihi quandoque anima ſeipſam inſinuaverit, quippe cum talis ſit, qualis apparuit per ſeipſam, quamvis in corpore vivat.

His Cæſaris Scaligeri, viri magni accedat teſtimonium, qui earumdem ingenii viciſſitudinum ſibi conſcius, rei admiratione in eam opinionem eſt adductus, ut exiſtimaret Genios nonnunquam ad homines propius accedere, eorum intereſſe cogitationibus, præſertim magnorum virorum. Qua de re poſtquam Pythagoreorum quos Platonici inſecuti, ſententiam, de bono & malo genio unicuique noſtrum aſſiſtente retulit, ſubdit: *Quibuſdam divinis ingeniis neque videtur (Genius) neque auditur, ſed ſeipſum ita offert, atque ingerit, ut ſua luce retegat intellectiones rerum arcanarum, quas deſcribant. Quapropter evenit ſæpenumero, ut*

cum deferbuerit calor ille cæleſtis in nobis, noſmetipſi noſtra illa vel admiremur, vel non agnoſcamus: aliqua etiam non intelligamus ad eam rationem ad quam directa dictataque ſunt ab illo. Et paucis interjectis de ſeipſo: *Ego vero qui ne cum minimis quidem me conferendum cenſeo: ſi quid unquam nobis excidit imprudentibus, tantumdem poſtea non ſperem à me præſtari poſſe. Quæ cauſa eſt ut nunquam accingamur niſi ab ipſo Genio invitati: qui nobiſcum intus loquitur, neque auditur, oſtendens divinitatis late patentes campos in animis noſtris: quos ab officiis corporis ſuſpenſos atque abſtractos aliis diſtinet functionibus.*

Ita neque ipſe Scaliger, vir tantus, quantum ex his verbis apparet, expromptam ſemper vim ingenii ad commentandum habuit, ſed ſtatis temporum momentis, quæ expectare cogebatur, ſi vellet aliquid egregium, ſeque dignum parere. Quinetiam (quod in primis notatu dignum) ex iis quæ ſcriptis mandaſſet, optima illa eſſe inveniebat, quæ ſibi imprudenti, ſoloque animi impetu citra meditationem excidiſſent. Quod indicat in mentis etiam functionibus & literariis inventis fortunam regnare. Fortunam voco quam Græci εὐτυχίαν appellant, cum aliquis citra electionem, in bonum inopinatum incidit. Tales enim quoſdam homines eſſe experientia

conſtat : quos Græci εὐτυχεῖς, nos fortunatos & felices vocamus. Vt videre eſt apud Ariſtotelem, qui de his in libris Moralium ſeorſim conſiderandum cenſuit. Quo etiam in genere hominum qui fortunæ beneficio potius, quam arte aut prudẽtia inclareſcunt, vulgo habitum fuiſſe Pub. Scipionem Africanum, teſtatur Polybius in decimo hiſtoriarum. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες αὐτὸν ἐπιτυχῆ τινα, καὶ τὸ πλεῖον, ἀεὶ παραλόγως καὶ τῷ ταὐτομάτῳ κατορθοῦντα τὰς ἐπιβολὰς παρεισάγουσι. I. *Et ſcriptores quidem alii omnes eum inducunt virum quendam fortunatum, & qui pleraque ſua omnia incepta præter rationem caſu quodam fortuito ad finem optatum perduceret.* De conjecturis autem quibus hunc divinæ potius quam humanæ virtutis fuiſſe putarent, vide Gellium, qui harum nonnullas ſane mirabiles affert, in ſeptimo Noctium Atticarum.

Quod autem ad literaria inventa & ſucceſſus attinet, de quibus agimus, ibi & valere fortunam, fidem fecerit Horatii curioſa felicitas à Petronio notata. Quem ipſum & Fabius lib. 10. variis verbis & figuris feliciſſime audacem fuiſſe dicit. Hanc igitur ſive fortunam, ſive felicitatem mavis vocare, Scaliger Genio adſcribit, ſane non abſurde: quando olim etiam fortunam θεῖόν τι καὶ δαιμονιώτερον, *divinum eſſe quiddã, & dignius quod dæmoni adſcribatur,* Ariſtoteles in 2. Natur.

Auſcult. teſtatur. Hinc toties apud antiquos ſcriptores θείαν τύχην legimus: ita enim in iis quæ proſpere caderent, ea nomina uſurpabant, ut apud Herodotum in Cypſeli hiſtoria: τὸν λαβόντα τ̃ ἀνδρῶν θείη τύχη προσεγέλασε τὸ παιδίον. 1. *Horum virorum qui prehendit, et infans divina fortuna arriſit.* Recte: nam ſaluti is riſus puero fuit, ad quem occidendum miſſi illi ſatellites fuerant. Loca obvia paſſim apud auctores. Xenophon in 7 rerum Græcarum, utrumque naturam & fortunam divinam conjungit. ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ οὐκ ἀνθρωπίνη δοκεῖ ταῦτα μᾶλλον, ἢ θείᾳ φύσει καὶ τύχῃ διορίσθαι. Eſt autem θεία φύσις, & θεία τύχη idem, quod θεία μοῖρα apud Platonem. Ita namq; & hic naturam interdum cum ſorte divina in eundem ſenſum copulat, ut in primo legum, de Athenienſibus loquens: μόνοι γὰρ ἄνευ ἀνάγκης αὐτοφυῶς θείᾳ μοίρᾳ, ἀληθῶς, καὶ οὔτι πλαστῶς εἰσὶν ἀγαθοί. *Soli namque hi ſuapte natura, divina quadam ſorte, non ulla neceſſiate cogente, neque ſimulate, ſed vere probi ſunt.* Vbi naturam intellige ſingularem & ſui generis, ut in Apologia, φύσει τινὶ ἐνθουσιάζοντες, hoc eſt, divina. Ita & apud Ariſtotelem 7. Eudemiorum. διὸ καὶ ὁριζόμενοι, τὴν τύχην τιθέασιν αἰτίαν ἀλόγον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ ὡς οὔσης τινὸς φύσεως. *Quocirca definientes fortunam, cauſam proportione reſpondentem humanæ rationi conſtituunt, tanquam ſit quædam natura.*

Ad

Ad hunc modum aio, hic τινὰ φύσιν, *naturam quandam*, dici ipſum Genium, ſive Deum in nobis vigentem, quod ſicut natura in aliis omnibus principium eſt movendi, ſic Deus in eorum anima, qui εὐτυχεῖς, fortunati dicuntur, quoddam ſit, ſed divinius principium agendi. Quod ſane ibidem haud obſcuris verbis profitetur. Cauſam enim inquirens, quamobrem quibuſdam improvidis & inconſultis res proſpere admodum cedant, poſtquam multa ſuo more in utramque partem verſavit, tandem eo redit, ut Deum nobis alterum eſſe principium motus decernat: τὸ δὲ ζητούμενον τοῦτ' ἐστι, τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ. δῆλον δὴ ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς καὶ πᾶν ἐν ἐκείνῳ. κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος, ἀλλά τι κρεῖττον. I. *Quod autem quæritur, idem eſt, ac ſi quis percontetur, de motus principio in anima. Patet enim non aliud eſſe id principium, præter Deum qui in univerſo eſt mundo; in quo & viciſſim omnia. Movet enim noſtra omnia, divinum in nobis exiſtens; neque rationis principium ipſa eſt ratio, ſed aliquid melius.*

Obſerva interim radium divinæ lucis in his verbis, *ut Deus in univerſo, ſic univerſum in Deo*: nempe ex eodem fonte, ex quo Pauli illa in Actis: *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* In ipſo (inquit) vivimus &c.

quod ego interpretor ,*per ipſum*, qui in nobis natura altera eſt, & principium motus, ſed multo divinius.

Quod autem Scaliger loco allato divinum hunc ardorem, qui quorumdam hominum mentes agitat; Genio adſcribit, eodem redit. Cum enim boni omnes Genii internuntiorum ad homines & miniſtrorum vice fungantur, dubitari non debet, quin, quam nobis præbent operam impellendo ad bonum, & illuminando, ad ſupremum omnium rectorem Deum referri debeat. Id ergo cum negotium nullum aut diſcrimen faciat, mittamus. Illud fortaſſe magis perturbet: quod ſic ad laſciva etiam poemata, & tinctas ſale prurìente chartas numen deducitur. Quippe in quibus ingenii non minus & inventionis;aliarumque virtutum ad fidem divini afflatus faciendam reperiatur, quam in ſeriis, immo ſacris. Hoc enim primo aſpectu abſurdum videatur, Dei operam ad infandas corruptarum mentium adducere cogitationes, ac turpi polluere miniſterio.

An dicendum eſt, his parum honeſtis non bonos, ſed maleficos, ſcelerumque hortatores præeſſe Genios? Licet id putare non abſurdum eſt, & aliquando contingit; non tamen neceſſarium videtur. Cur enim magis abſurdum aut indignum putemus

Deum adeſſe fœdis improborum cogitationibus, quam nefandis adulterorum amoribus, dum illicitis conceptibus animas rationales ad ſpuriorum procreationem infundit? Quippe, ut nihil voluntatis humanæ labes ordini illi præjudicat, quem Deus naturæ in moderandis rerum effectionibus præſcripſit, ſic neque ſcriptorum improbitas, quo minus quam ſibi ipſe legem poſuit, illuminandi hominum mentes ſequatur, neque eorum quæ ab humano ingenio proficiſcuntur, quicquam à ſe alienum putet. Ita igitur omnis, niſi fallor, ſcrupulus tollitur, patetque nihil obſtare, quo minus vim afflatumque divinum ad omne egregium mentis humanæ opus extendamus.

Egregium inquam ingenii opus, quia non arbitror ad omnia quæ aliquis cogitat, neceſſe eſſe Deum venire. Quis enim ad mediocre opus vim divinam requirat? Non magis profecto, quam poeta machinam, ubi nulla cogit neceſſitas. Dignus vindice nodus incidat, oportet, ut Deus inducatur in ſcenam. Eodem modo grandius quiddam animo volvi neceſſe eſt, quod divino afflatu egeat. Authorem hujus diſtinctionis habeo Plutarchum in Coriolano, vel potius Homerum, à quo is ſe accepiſſe teſtatur. ἐν δὲ ταῖς ἀτόποις καὶ παραβόλοις πράξεσι, καὶ φορᾶς τινος ἐνθουσιώδους καὶ παραστάσεως δεομέναις, οὐκ αἰτια-

ροῦντα ποιεῖ (Ομηρος) τὸν θεὸν, ἀλλὰ κινοῦντα τὴν προαίρεσιν, οὐδ᾽ ὁρμὰς ἐνεργαζόμενον ἀλλὰ φαντασίας ὁρμῶν ἀγωγοὺς, αἷς οὐδὲ ποιεῖ τὴν πρᾶξιν ἀκούσιον, ἀλλὰ τῷ ἑκουσίῳ δίδωσιν ἀρχὴν, καὶ τὸ θαῤῥεῖν καὶ τὸ ἐλπίζειν προστίθησι. *In iis vero quæ ſolitum agendi modum magnitudine & ſuſcipiendi audacia excedunt, facinoribus, quæque idcirco quopiam divino impulſu & incitatione egent, non ita Deum facit Homerus, intervenire, ut humani animi arbitrium, & voluntatis propoſitum deſtruat, ſed ad hoc ſolum ut moveat. Neque porro ita, ut animi impetus ipſe efficiat; ſed viſiones phantaſiæ imprimat, ex quibus ejuſmodi appetitus ſequantur. Quæ quidem viſiones non impediunt, quominus actio ſit voluntaria, ſed voluntario principium agendi afferunt, fiduciamque & ſpem inſpirant.*

Inſignis hic locus eſt de modo, quo Deus humanam voluntatem regit, & Theologis de gratiæ motu ſollicitis notandus. Nempe Homeri & Plutarchi ſententia Deus non movet primo voluntatem, ſed intellectum quidem prius per ſpecies animo impreſſas; ex conſequenti autem voluntatē, quæ his animi viſis, commota ſe ad agendum expedit; alioqui voluntarium periret. Hæc eorum virorum ſententia eſt. Verum Ariſtoteles in 2. Magnorum Moralium cap. 8. eum etiam agnoſcit modum, quo Deus impellit voluntatem ad aliquid faciendum,

ſine rationis opera. Quem modum fortunatorum proprium cenſet: *Eſt igitur* (inquit) *proſperitas, natura expers rationis. Is enim fortunatus eſt, qui ſine ratione impetum habet ad bona, & horum fit compos. Id vero naturæ eſt. Ineſt namque animæ, hujuſmodi aliquid natura, qua ſine ratione impellamur ad ea, ad quæ ſumus bene comparati. Ac ſi quis hoc modo affectum ſic interroget: cur nam id tibi ita libet agere? Neſcio, inquit, ſed libet. Nempe ejuſmodi quiddam patiens, quales qui furore divino occupantur, qui cæco impetu ad aliquid agendum moventur*, ὅμοιον πάσχων τοῖς ἐνθουσιάζουσι, καὶ γὰρ οἱ ἐνθουσιάζοντες, ἄνευ λόγου ὁρμὴν ἔχουσι πρὸς τὸ πράττειν τι.

Hic quædam velim animadverti: primum quidem affectionem ejus, qui cæco ad bonum impetu fertur, φύσιν dici, hoc eſt, naturam. Quod cave intelligas dictum de ipſius natura hominis, qui ſic movetur, ſed eam intellige, quam Plato τὰ φύσιν locis ſupra allatis vocat, hoc eſt, divinam, quam eſſe eandem ac fortunam & ſortem divinam, ſupra ex Herodoto, Xenophonte & Platone ipſo oſtendimus. Alterum quod velim perpendi, eſt: quare non dicat tales ſimpliciter ἐνθουσιάζειν, *divino furore eſſe correptos*, ſed quid ſimile pati. Hujus rationem eſſe hanc arbitror, quia veterum ſententia non intelligitur proprie ἐνθουσιασμὸς, niſi

cum ita aliquis incitatur animo divinitus, ut corpus in ejus motus ſocietatem manifeſta perturbatione trahatur. Quod maxime accidebat vaticinantibus, ut Sibyllæ, cui

Non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ.

Eademque cauſa poetis ἐνθουσιασμὸν tribuebant, quod & his, aut mentis impulſæ concitatio redundaret in corpus: aut vice verſa, mentem corporis perturbatio à præſentium ſenſu abſtractam ſubeunti luci divinæ adverteret, licet non eadem eſſet vehementia poetici furoris, quæ fatidici. Sed tamen neque de his proprie ἐνθουσιασμὸς diceretur, ſi nulla in eorum corpore inſolita exiſteret mutatio. Hancque eſſe cauſam putandum eſt, cur fortunatos non plane ἐνθουσιάζειν, ſed ſimile quid lymphatis pati dicit. Quemadmodum in primo Moral. ad Eudemum, de iis qui εὐτυχίᾳ felicitatem conſequuntur, ἤτοι καθάπερ οἱ νυμφόληπτοι, καὶ θεόληπτοι τῶν ἀνθρώπων, ἐπιπνοίᾳ δαιμονίου τινὸς ὥσπερ ἐνθουσιάζοντες, *more eorum hominum qui lymphati & numine afflati ſunt; tanquam furore divino inſtincti.* Quod parum videns interpres adverbium ὥσπερ, velut redundans verſione non eſt dignatus.

Cæterum ex dictis apparet duplicem eſſe divinam animorum incitationem:

unam cum tumultu & perturbatione conjunctam, quæ in corpore etiam appareat, quam veteres proprie ἐνθουσιασμὸν dixerunt: alteram ſedatam, & omnis ejuſmodi perturbationis, quæ quidem notetur, expertem. Qualis virorum politicorum qui divinitus ad aliquid ſuſcipiendum impulſi, nullum interim graviorem aliis motum oſtendunt. Itaque Plutarchus loco allato de arduis, & παραβόλοις audacibus magnorum virorum cœptis loquens, non ad illa ἐνθουσιασμὸν requiri dicit, ſed tantum τινὰ φορὰν ἐνθουσιώδη, hoc eſt, motum ſimilem ἐνθουσιασμῷ. Et Eunapius in Ædeſio, Soſipatram divinitus edoctam & numine occupatam, quod nihil in corporis geſtu aut ſpecie aut voce incompoſitum, ſed omnia tranquilla & decora, ut feminam decet, oſtenderet, non ſimpliciter, ſed σωφρόνως ἐνθουσιῶσαν fuiſſe dicit, hoc eſt, *moderate & temperanter numine afflatam*. Neque aliter ſane judicandum eſt de ſanctis prophetis qui olim apud Iudæos vaticinabantur, & Apoſtolis, aliiſque Deo caris, ut hos in omnibus divino ſpiritu inſtinctos fuiſſe credamus, ſine ulla tamen animi commotione, quæ quidem extrinſecus pateret.

Sed hic fortaſſe aliquis ambigat, an quæ poetæ faciunt, iis mereantur annumerari ἀτόποις καὶ παραβόλοις, hoc eſt, mirandis & peri-

culoſæ plenis aleæ factis, quæ magnitudine ſua, numinis præſentiæ in auctoribus ſuſpicionem faciunt. Quidni? Quæ eadem animos contemplantium admiratione percellant, eademque famæ excellentia atque immortalitate floreant. Si raritas inventis pretium facit, quid rarius generoſo & legitimo poemate? Quam pauca in eo genere extant, quæ ab omnibus probentur? Si operis dignitas; quid dignius humani ingenii opus dici poteſt Iliade & Æneide? Equidem non me eum eſſe arbitror, qui tantorum operum virtutes animo conſequi poſſim, ſed quid de Homeri poeſi maximi totius ævi Imperatores & Principes judicaverint, Plinii verbis referre haud pigebit: *Alexander Magnus inter ſpolia Darii Perſarum regis, unguentorum ſcrinio capto, quod erat auro, gemmiſque ac margaritis pretioſum, varios ejus uſus amicis demonſtrantibus (quando tædebat unguenti bellatorem & militia ſordidum) immo, Hercules, inquit, librorum Homeri cuſtodiæ detur: ut pretioſiſſimum humani animi opus, quam maxime diviti opere ſervaretur.*

Quid porro de Maronis Æneide dicam? Si laudare aggrediar, ridiculus ſim. Quid enim quiſquam illa dignum effari poſſit? Niſi quidem illud placeat Cæſaris Scaligeri; *monſtrum vitio carens.* Non eſt vero quod quiſquam mihi illud plebeiorum judiciorum

judiciorum obtrudat; majus eſſe facere laudanda, quam facta laudare: neque enim boni poetæ quæ alii geſſerunt, laudant tantum ſed iis vitam & dignitatem largiuntur. Unde illud Silii.

Felix Æacida; tali cui contigit ore
Gentibus oſtendi: crevit tua carmine virtus.

Nec vero imitandi libido natura omnibus inſita, & poteſtas fingendi quicquid lubet, tum harmoniæ facultas, aut corporis etiam bene temperati opportunitas, (quas Ariſtoteles in hominis natura, ineſſe demonſtrat poetices cauſas) altiora poeticarum ſcriptionum principia excludunt; ut in ſecundæ opinionis expoſitione ſupra ceu conſequens objiciebatur. Hæc enim objectio aliquid eſſet, ſi de toto operationū genere eſſet diſputatio: nunc non genus, naturamve functionis ſpectamus, ſed modum, putà excellentiam & tanquam apicem operis ad ſummum perducti perfectionis gradum, vel certe faſtigio proximum in aliquo genere. Ut ſi de inuſitatis corporis & animi invicti viribus ſermo haberetur; qualibus excelluiſſe Samſo Hebræus memoratur; ſi quis cauſas quibus corpus humanum natura robuſtum efficitur, demonſtraret, non tamen ea diſputatione efficeret, non alias potiores in eo heroe fuiſſe cauſas ſupergreſſi humanam conditionem

roboris & virtutis: cui leones manibus diſcerpere ludus erat, qui mille viros armatos ipſe inermis, aſini maxilla confecit, atque alia facinora patravit, quæ fabuloſa viderentur, niſi ratione major ſacrorum codicum auctoritas dubitantibus ſilentium imponeret. Quippe heroem illum natura inſigni corporis & animi robore fuiſſe prædicatum putandum eſt: non tamen uſque adeo, ut ea fortitudinis prodigia naturaliter edere poſſet. Itaque ſacra illa volumina hunc non humanis, ſed divinis viribus ac numinis afflatu miranda illa perfeciſſe teſtantur.

Ad hunc modum de eximiis magnorum vatum monumentis judicandum eſt: licet qua ſimpliciter poetica ſunt, cauſas in hominis natura habeant, eximiam animi indolem ad res poeticas & alia memorata; non tamen qua ſolitum ingenii humani agendi modum tranſcendunt. Quippe & hic laudabilium in eo genere operum raritas & fulgor, intuentes cogit altiora quærere principia, Natura ipſa eo animos vocante, cui haud mos, ratiove, ut in paucis tantum vim ſuam oſtendat, ſed ut ſemper eadem in unoquoque genere, vel certe ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *ut plurimum*, auctore Ariſtotele pluribus locis.

Hæc de poeticorum operum majeſtate viſum eſt commemorare, ut intelligatur,

non eſſe illa indigna, quæ aut vero enthuſiaſmo, aut quodã ſimili motu quem φορὰν ἐνθουσιώδη vocat Plutarchus, perfici credantur: uter autem motus iis magis conveniat, ex auctorum temperamento & moribus definiendum arbitror. Quibus enim non magno intervallo bilis atra modum naturalem excedit, hos veriſimile eſt non admodum evidentia, dum etiam numine afflati rapiuntur, furoris indicia in corpore præbere; ſolum abſtrahi cogitatione à præſentibus, more eorum qui in aliqua altiori contemplatione verſantur; adeo ut neque editas in proximo voces audiant, neque ante oculos poſita videant. *Magna*, inquit Plinius, *Cogitatio obcæcat, abducto intus viſu.* Abducitur autem hic & alii ſenſus exteriores, dum ſpiritus propria omnium facultatum inſtrumenta vi contemplationis intro ad intelligentiæ ſedem revocantur. Quibus ſane ἐνθουσιώδης potius φορὰ, quam ἐνθουσιασμὸς creatur.

Negari interim non poteſt, quin alia temperamenta exiſtant ejuſmodi, quæ majore bilis ſuccenſæ œſtro homines cogat, inter ſacra Muſarum, & dum iis operantur, omnem furentis animi faciem pati, ut plane inſania laborare credantur. Ita iis ardent oculi, vultus igne ſuffunditur, voces inſolitæ erumpunt, corpus inquietatur, modo

ſedentium ad pluteum, modo exilientium, & incertis paſſibus per cubiculum aut alia ſola loca vagantium. Qualem poetæ illius Syracuſani furorem fuiſſe conjicio, quem Ariſtoteles citato problem. primo ſect. 30. ex atræ bilis inflammatione furentibus aggregat: qualis fortaſſe & Naugerii commotio fuit, dum verſus pareret: quem Fracaſtorius in dialogo illi cognomine, de poetica, ſic amœnæ ſolitudinis conſpectu perculſum inducit, ut plane furens amicis præſentibus videretur. *Naugerius quaſi Muſa tactus, aut Apollinis œſtro concitus cum late circumſpexiſſet, carmina primum quædam ſuccinere cœpit, mox è ſinu correpto pugillari Maronis, quem nunquam dimittere conſueverat, tanto impetu, ſed & tanta harmonia legere cœpit, ut nobis videretur & ille furens effectus, & nos nihil unquam ſuavius audiſſe. Qui cum Bucolica fere dimidia eo furore legiſſet, poſtremo exclamans libellum à ſe projecit.*

Nec prætereundum porro ſilentio, quod Fortunius Licetus inter recentiores Italiæ Philoſophos inſigne nomen adeptus, ac reſponſis ad omne quæſitorum genus meritus, qui πένταθλος, velut olim Democritus, in philoſophia dicatur, de Torquato Taſſo refert, eorum reſponſorum ad tertio quæſita per epiſtolas cap. 12. ubi anxie & pluribus inquirit, quid ſit τὸ θεῖον in morbis,

quod Hippocrates in Prognoſtico, num inſit, medicos ſtudioſe obſervare jubet. Qua dictione cum alia complura, tum furorem etiam ex divino afflatu innui teſtatur. Ceu ille medicos admoneat, ne quem viderint furentem, ſtatim hunc remediis, quæ ex morbo furentibus adhiberi ſolent, fatigandum putent. *Quod non ita pridem* (inquit) *Medici neſcio qui fecerunt inclyto poetæ Torquato Taſſo: quem divino furore percitum, cum inſanire putarent ex morbo ab atra bile, medicinæ remediis impetentes, vere furentem inſaniæ morbo reddiderunt, ſapientiamque verterunt in inſipientiam, & prudentem virum infatuaverunt.* Niſi enim multa, neque obſcura vir ille divinus inſaniæ ſigna dediſſet, non eum Medici, illi ut ex morbo furentem intempeſtivis remediis perdidiſſent. Vt dubitari non poſſit quin ex allata diſtinctione, in hunc vere ἐνθουσιασμὸς competeret.

Atque ex his unicuique poetæ judicium de ſe ferre liceat, quo ſe furoris genere ſive gradu occupari ſentiat; illo-ne qui proprie ἐνθουσιασμὸς dici mereatur, an qui φορᾷ ἐνθουσιώδης tantum. Illud prope modum conſtare poteſt, nomen furoris poetici, toti generi initio inditum fuiſſe, iſtorum occaſion e, qui rapidiore atræ bilis impetu acti, eadem prope quæ ex morbo inſanientes, paterentur:

divinum autem nuncupatum ab eo lumine rationis divinæ, quod eſt omnibus qui poetæ nomine digni ſunt, commune, multo arte omni præſtantius, propterea quod magis natura ſint ad eam illuſtrationem ſuſcipiendam accommodati. Quo evertitur illud ſupra allatum, de ambigua, ἐνθουσιασμοῦ ſignificatione apud auctores, ceu ad eripiendam poëtis vim cæleſtis principii, ſufficiat oſtendiſſe, quandoque apud Græcos uſurpari id nomen ad quemvis graviorem animi motum deſignandum: cum exinde contrarium potius ſequatur. Neque enim eſſet, cur improprie interdum ſumi id vocabulum diceretur, ſi nuſquam contingeret uſurpari in propria ſignificatione. Niſi forte aliquis ita deſipit, ut proprie loqui eos cenſeat, qui rabidum iræ motum, aut libidinis, ἐνθουσιασμὸν, hoc eſt, *furorem, afflatumque divinum* vocant. Si igitur hæc impropria eſt locutio & metaphorica, ſequitur alios eſſe animi motus, quibus id nomen proprie comparat; ſiquidem nihil aliud metaphora eſt, niſi vocabuli alicujus à propria & nativa ſede in alienam tranſlatio. Qui ſunt igitur hi animorum motus, quibus proprie ἐνθουσιασμοῦ appellatio convenit, niſi quibus vaticinantes & poetæ agitantur, & ſi qui alii more eorum divino inſtinctu aguntur?

Ex his plena habetur definitio atque

explanatio furoris poetici, ut hunc dicamus eſſe, animi à natura accommodati ad res poeticas, & divinitus illuſtrati incitationem ad carmen pangendum. Dicitur incitatio; quod eſt genus omnem ſub ſe motum incitationemque animi comprehendens: cætera ſunt vice differentiarum; nempe animi propenſio & accommodatio ad res poeticas, tum porro animi divinitus illuſtrati incitatio. Qua fit ut omnes rerum pulchritudines videat, quibus poema illuminatum ad hominum uſque admirationem coruſcat.

Hac luce expoſitionis priorum opinionum nubila fugantur, dubitationum ſcrupuli è medio diſcedunt; ſic namque prima numinis commendabat afflatum, ut nullum ingenio relinqueret locum; quod à ratione, ab experientia, à potiorum philoſophorum ſententia eſſe alienum oſtendimus. Nec minori temeritate altera vim ingenii humani ſic extollebat, ut negaret homines, vel in arduis inceptis auxilio egere divino. Quibus extremitatibus remotis ut vitioſis, diſputatio tandem rationis ſponte, ac rerum conſequentia ad tertiam devoluta eſt opinionem, quam omnium eſſe tutiſſimam propoſui. Quippe quæ exploſis veteris ſuperſtitionis ambagibus, & malorum Geniorum præſtigiis, naturam auctori ſuo reſti-

tuit, Deum operi ſuo potiori fœdere adjungit. Quam ſic à me eſſe illuſtratam confido, ut ſi nondum ad exactam ſcientiæ perducta normam & firmitatem dici poſſit, nemini tamen non acceptiſſima rationum probabilitate placere debeat. Neque enim aliquẽ eſſe arbitror tam iniquum cenſorem, qui id non fateatur. Quis enim doctrinam eſſe probabilem neget, quæ tot illuſtrium ſcriptorum, & philoſophorum auctoritate nitatur? Quam & natura ipſa, haud obſcuris rerum documentis ſponte ad hominum aſſenſum adducat. Si autem probabilem fatentur, quid dubitamus amplecti hoc quodcunque eſt lucis, in tam alta, & tam perplexa quæſtione?

Sed nimirum id homines parum ordinis rerum gnaros ſemper offendit, quod animi humani naturam ad magna mentis incepta mancam & debilem facimus ſine luce divina. At non video quî id magis mirum aut incredibile videri debeat, hoc quod Alexander Aphrodiſienſis credidit, & pro Ariſtotelico venditat, neminem mortalium quicquam agitare poſſe animo, aut intellectione conſequi, quod non Deus ipſe Optimus Maximus menti illabens ſua luce retegat. Quem proinde ab eo intellectu quem Ariſtoteles agentem vocat, haud diſtinguit, quatenus quidem mentem

tem noſtram illuſtrat, & ei muneri lucem ſuam certo naturæ pacto addixit; tametſi, qua eſt omnium rerum auctor & principium, mundum omnem vi infinita comprehendat. Si id Alexandro omnium Ariſtotelis interpretum facile principi, viſum eſt dignum, in quo animus veri cupidus acquieſceret; cur adeo calidum & audax facinus videatur, putare aliquid divinum, humanis intervenire cogitationibus, cum rerum difficultas & magnitudo tale adjumentum requirit?

Quid dicam de Avicenna? Quem hominem Julius Scaliger omnium philoſophorum acutiſſimum, atque etiam cordatiſſimum cenſet, nugari hunc dicemus, aut parum eſſe philoſophum, cum & ipſe tam facile divina humanis miſcet, in iis quæ nullo ſatis cauſarum naturalium concurſu & poteſtate explicari poſſe ſperaret? Qui de memoria agens, neque intelligens qui poſſint ſine confuſione, innumerabiles prope rerum ſpecies, quarum eſt recordatio, habitare in cerebro; non veritus eſt has ab ea ſede, in qua alii omnes eas collocant, hunc inquam formarum theſaurum transferre ad poteſtatem intelligentiæ cujuſdam inferioris, id munus ſortitæ, quo congruentes recordantibus rerum ſpecies in ipſo temporis articulo exhibeat. Idemque eorum quæ

uſquam in mundo gignuntur, materiis, for-mas, ejus intelligentiæ, quam colco-deam vocat, opera adjungi voluit, ſecu-tus Themiſtium Peripateticum, cui eadem ſententia placuit.

Quæ cum attentius perpendo, iſtos na-turæ interpretes, quibus noſtra hæc furo-ris poetici explicatio mirabilis, & ſupra hominis captum videtur, viciſſim mirari ſubit, qui nihil putent naturale, quod non ſit penitus à divina operatione abſolutum & diſtractum. Neque illud ſaltem Pauli reputant à Luca Evangeliſta memoratum in geſtis Apoſtolorum: *Non longe eſt (Deus) ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Tametſi ad commu-nem etiam & ordinarium Dei concurſum referri poteſt. Sed antequam huic diſpu-tioni finem conſtituam, libenter iis proble-ma quoddam diſſolvendum, cum bona ip-ſorum venia proponam: an ſcilicet quod alicui naturale & vernaculum eſt, id illi ipſi Dei munere tributum dici poſſit. Si ne-gant, Homerum opponam, qui Phemium egregium poetam & citharœdum ſic de ſe prædicantem inducit in Odyſſ. lib. 22.

αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
παντοίας ἐνέφυσεν.

Vbi αὐτοδίδακτον, hoc eſt, à ſeipſo edo-ctum, Scholiaſtes exponit, ἐκ φύσεως διδάκτ-

ἰδίων, *à natura edoctum.* Sed & Ariſtoteles in primo Rhetorices, in comparatione bonorum: nativum quod αὐτοφυὲς vocat, τοῦ ἐπικτήτου, hoc eſt, acquiſito majus eſſe, hoc loco Homeri probat. Quomodo igitur iſte Phemius, cum ſe in muſica à ſeipſo edoctum, hoc eſt, natura muſicum dicat, interim modulorum genus omne pectori ſuo divinitus infuſum fatetur? Adeo vecors Homerus, ut pugnantia & ἀσύστατα in eodem eſſe dicat? Non opinor aliquem eſſe uſque adeo perfrictæ frontis, ut quidquam ejuſmodi de Homero cogitare audeat. Non igitur hæc inter ſe pugnant; neque abſurdum eſt eundem hominem, eandem ingenii dotem ac decus à natura habere, & à Deo. A natura quidem; quatenus eam virtutem haud diſciplina & labore adeptus eſt: à Deo autem; qua naturæ eſt auctor, hæcque ingeniorum diſcrimina ac dotes diverſas & proprietates pro arbitrio temperat.

Ita & Maximus Tyrius, Academiæ Siren, in diſſertatione 22. in qua tractat an quis bonus divina ſorte eſſe poſſit, hunc locum Homeri accipit. Eadem enim perculſus difficultate, quam poetæ verba objiciunt, nodum hunc in modum ſolvit: *Reſpondere poſſet Demodocus* (hic alius poeta eſt apud Homerum, quem perperam cum Phemio confundit) *quod divites qui ex here-*

ditare opes ſuas conſecuti ſunt, reſponderent homini, quem rei quærendæ intentum viderent: ὡς ἐστιν αὐτοῖς αὐτογενὴς ὁ πλοῦτος, οὐ παρ᾽ ἄλλων τέχνῃ καὶ πόνῳ συνενηνεγμένος. *Spontaneas ſe opes poſſidere, nullaq; arte aut labore congeſtas.* Hæc autem eo ſpectant, ut quod ſuperior jam diſputatio aperuit, magis appareat, non ipſam per ſe & ſimpliciter hominis naturam eſſe alicujus momenti in magnis, ſed quatenus à Deo eſt ſuſpenſa, & ejus lumine, atque, ut ita dicam, habenis regitur. Quod Plato θείᾳ μοίρᾳ κατέχεσθαι, *ſorte divina* occupari & contineri dicit. Fuit enim Plato Homericus, non ſtili tantum majeſtate, ut Fabius notavit; ſed etiam ſententiis. Quemadmodum enim Homerus, quam quis virtutem diſciplina haud accepit, à Deo accepiſſe dicit; ſic & Plato, quodcumque perfectionis, ſtudio, & præceptoris diligentia haud quaquam contingit, ad ſortem ſive fatum refert divinum: & perpetuo τὸ θείᾳ μοίρᾳ opponit τῷ διδακτῷ. Hinc tam frequens apud illum Deorum ad Heroas interventus; tam crebra apud iſtum divinæ ſortis mentio.

Sed Deum per omnem ire naturam, ac felicium hominum mentes, ceu quibuſdam myſteriis initiatas, propius ad divinitatis ſuæ adyta admittere, viſiſque potioribus beare, abunde ſupra oſtendimus, non Pla-

tonis modo & Platonicorum, ſed etiam Ariſtotelis teſtimonio. Ex quo illud quivis intelligat, quod M. Tullius in 2. de Nat. Deorum ſciſcit : *Neminem virum magnum ſine afflatu divino unquam fuiſſe.*

Id ſive ſuperiori diſputatione probavi, quod mihi erat propoſitũ ; ſive non potui aſſequi; non facile mihi quiſpiã eripiet, aut diſputatione ulla perficiet, ut hanc nobis à magnis viris oblatam cœlitum ſocietatem ab homine alienam putem. Nolim hic nimium eſſe acutus ; aut plus quam expedit, philoſophus ; quodque mihi alias ſemper Neoptolemi conſilium, viſum eſt parum liberali homine dignum, hoc ſaltem in loco non diſplicet ; mihi philoſophandum eſt, ſed paucis : nam omnino haud placet. Tum ſi quis me argumentis diſputator vehementius urgeat de hac furoris poetici altiore cauſa ; non dubitabo illud uſurpare Ciceronis in re perinde obſcura, ſed homini glorioſa ; *Errare mehercule, malo cum Platone, quam cum iſtis vera ſentire.*

FINIS.

Digitized by Google

VARIORUM
POEMATUM
LIBER.

VARIORUM POEMATUM

LIBER.

Digitized by Google

Digitized by Google

Mittit Poëmata ſua

CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO FURSTENBERGIO

EPISCOPO MONASTERIENSI.

RELINQVE, Muſa, Delphicæ rupis ſpecus,
Comitumque cœtus virginum, & numen loquax
Placidæ Aganippes, quæ per umbroſum nemus
Molli ſuſurro volvit errantes aquas.
Tibi ſuperba Teutonum Palatia;
Quà Padera ſacrum gurgite exerit caput,
Amiſiuſque Veſtphalûm rigat domos;
Adeunda. Ibi mens alta, ſolers, perſpicax,
Regnat, coruſcas ventilans latè faces
Felicioris ingenî: cùm nectare,
Cæleſtibuſque carmen imbuit favis:
Tuumque dulcem ſpiritum & os nobis refert;
Tuique Phœbi, quem exprimit velut patrem
Legitima proles. Hunc adi, & multum cole:
Offerque mentis quale quale opus meæ,
Amoris illi quod mei faxit fidem.
Quamquam remoto, ſortis invidia abſtulit
Videre coram & alloqui: tamen tuba

Famæ ſonantis lumen illud inclytum;
Operumque ſplendor fecit, ut cognoſcerem.
Quæ miſſa ab ipſo muneri ut primùm attigi;
Ita me diſerto faſcinatum carmine,
Detinuit ille valle de Parnaſſia
Flos Pegaſeis educatus roribus :
Sic dulci odoris halitu ſenſus meos
Afflavit omnes ; ut repentè crederem,
Raptum vagari me beatis in jugis,
Vbi vos manetis urbium ſtrepitu procul.
I, Muſa : greſſu carpe concito viam:
Aliis, opinor, nil opus tibi notis :
Nil eſt in orbe cognitum magis tibi,
Quàm magnus ille alumnus, artibus ſuis
Qui te per orbem cognitam totum facit.

CODRUS

SIVE

OPTIMI REGIS IDEA.

AD CELSISSIMVM PRINCIPEM

FERDINANDUM FURSTENBERGIUM;

EPISCOPUM MONASTERIENSEM, &c.

Argumentum ex Juſtini libro 2.

Erant inter Athenienſes & Dorienſes ſimultatum veteres offenſæ, quas vindicaturi bello Dorienſes, de eventu prælii oracula conſuluerunt. Reſponſum, ſuperiores fore, ni Regem Athenienſium occidiſſent. Cùm ventum eſſet in bellum, militibus ante omnia, cuſtodia regis præcipitur. Athenienſibus eo tempore Rex Codrus erat: qui & reſponſo Dei, & præceptis hoſtium cognitis, permutato Regis habitu, pannoſus ſarmenta collo gerens, caſtra hoſtium ingreditur: ibi in turba obſiſtentium, à milite quem falce aſtu vulneraverat, interficitur. Cognito Regis corpore; Dorienſes ſine prælio diſcedunt. Atque ita Athenienſes virtute ducis, pro ſalute patriæ morti ſe offerentis, bello liberantur.

INclyta fert animus monumenta evolvere Regum,
Et magnum canere heroem; qui morte cadentem
Erexit Patriam, atque avertit finibus hoſtes.
Inſolitum virtutis opus: namque agmina ſolus
Irrumpens, poſito cultu, atque inſignibus armis;

Devotum leto caput obtulit. Hunc mihi, Muſæ,
Vatibus haud tritum liceat decurrere campum,
Manibus & magnis juſtum perſolvere munus.
Tuque adeo (nam quem Vates hoc tempore teſtem
Majorem, columenque optent) concede cupitam
Auſpiciis, FERNANDE, tuis contingere metam.
Imperio licet intentus, rebuſque gerendis,
Longè alias, credo, volvis ſub pectore curas:
Alta Monaſterî modò quem delubra tenentem,
Excubiis Superûm æternis, rerumque potentem
Veſtphalis ora videt, tantoque ſuperbit alumno.
Sed tamen has inter curas, aulæque tumultus,
Si locus eſt Muſis, nec totus pectore Phœbus
Excidit, hunc oro ne dedignare laborem
Inſpicere: antiquis liceat modò nomina faſtis
Eruere, oppreſſæque ævo ſuccurrere famæ.
Incipiam & tanti memorabo exordia facti.
Inciderant cauſæ irarum, gentique cruentum
Cecropiæ bellum Dores, Pelopeaque regna,
Herculeique duces acciti inferre parabant.
Nec poſſe hos ullo componi fœdere motus
Spes erat: attonitas ibat Bellona per urbes:
Hinc placitum Junoni Argos fremit: inde Mycenæ,
Hermioneque: hinc Piſa ſuo jurata Tonanti.
Qui Nemeen claram pugnis, lucoſque Molorchi
Concelebrant; patiens quos Sparta educit ephebos
Eurotæ ad ripas, & crebro gurgite durat:
Et quos Inous Bimari Melicerta Corintho
Imputat, Iſthmiaca redimitos tempora pinu.
Ante quidem cœtus, patrias & obire palæſtras,
Aſſueti, & ſacræ decerpere frondis honores,
Ducebant placidæ felicia tempora vitæ:
Nunc rapit alter amor, nunc ſunt fera prælia cordi.
Idem Thebanis, idem Tegeatibus ardor:

*Nemo tuas canibus ſcrutatur, Mænale, ſilvas:
Deſeritur Pholoe: linquunt umbroſa Lycæi
Paſcua, Partheniumque nemus: nec, ut ante ſolebat,
Carmina paſtorum aut ullos Pan audit amores.
Tot regnis unam gentem fortuna laceſſit.
At non degeneres tanto in diſcrimine torpent
Cecropidæ: redeunt animis hinc maximus urbis
Conditor Ægides; tot prima ab origine ducti
Indigenæ heroes: hinc genti numen amicum
Pallas Erichthonias præſens quæ protegit arces:
Nec minimum qui tunc illis regnabat in oris
Magnanimus columen Codrus; generoſa Melanthi
Progenies: ipſe Actææ telluris alumnus:
At Meſſana virûm, Spartanæque æmula laudis,
Naſcentes jactabat avos: ipſumque parentem
Excepiſſe ſinu: quorum & facta inclyta cælum
Attingunt: verùm hæc aliis celebranda relinquo.
Longa nimis ſeries, ſi ſit mihi cura per omnem
Ire domum, caſuſque omnes memorare Melanthi:
Finibus ut patriis, & avita ſede coactus
Migrare, & longè poſitas exquirere gentes:
Poſt dura exilia, exhauſtos & mille labores,
Tandem ad Erechtheas fato delatus Athenas,
Vinxerit oblato meritam diademate frontem.
Hac ſe prognatum Codrus de ſtirpe ferebat.
Rege ſub hoc res tunc opibus florebat & armis
Attica. Sed nullum ſervat fortuna tenorem,
Nec quicquam ſinit eſſe diu mortalibus ægris.
Qui modo florebant læti ſub principe tanto,
Nunc trepidant, cùm tanta vident ſibi bella parari.
Qualis cura ſubit timida freta puppe ſecantes,
Cùm medio in curſu tempeſtas ingruit, & jam
Incipiunt omnes cælo concurrere venti.
Nam quamquam fidunt multùm virtute magiſtri:*

Attamen everſas horrent aquilonibus undas.
Contra autem Inachios cœpti fiducia belli
Magna tenet; quoties validas tot fœdere gentes
Conjuraſſe vident: totis jamque horrida campis
Agmina fundantur: ſed enim properantibus obſtant
Monſtra Deûm, dubiaſque tenent formidine mentes.
Attonitis tandem hæc potior ſententia ſedit:
Scitari primum Vates, quid fata minentur,
Et placare Deos. Phœbeas itur ad arces
Phocidos in ſcopulis: longo ſubmota receſſu
Stabant templa Dei rigidis pendentia ſaxis,
Ipſo ſacra ſitu, & tacitorum horrore locorum.
Quippe ibi Parnaſſus gemino præruptus ad auras
Vertice conſurgit: nubes gelidæque pruinæ
Summa tenent, infrà denſis latera ardua frondent
Arboribus, ſacriſque ſonantia fontibus antra
Occulto attonitas ſuſpendunt numine mentes.
Egregium in primis viſu, & mirabile templum.
Veſtibulum ante ipſum ramos pandebat olentes
Laurus docta comas, ſenſuraque vertice moto
Numinis adventum: at vaſti ſub fornice templi
Splendebant latè populorum dona ſuperbis
Fixa tholis, quos tunc Phœbus jactabat honores.
Illic heroum certantia vultibus æra
Cernere erat, veterum effigies ex ordine Regum,
Artificumque manus: quodcumque inſana libido,
Votorumque potens ſtatuit ſcelus; omnia regna,
Omne ævum una domus ſpatio complexa tenebat.
In medio ſpecus horrendum, ſpiracula magni
Numinis: hinc totum reſonans conſulta per orbem
Mittebat, populos huc undique vana trahebat
Relligio: tunc & ductores limine in ipſo
Stabant Argolici, & Divum reſponſa petebant.
Nulla mora eſt, dat ſe Phœbo exorata Sacerdos;

Inſcendit tripodas, ſolitoque accenſa furore;
Tales fatidico rumpit de pectore voces.
O fortunati, quotquot Pelopea tenetis
Arva, & Tantalicas verſatis vomere glebas.
Quæ vos bellandi rapit inconſulta cupido?
Cecropiamne armis gentem vaſtare paratis?
At ſibi ſacratam Pallas non deſeret urbem:
Nuſquam aberit; nuſquam domitor Neptunus aquarũ,
Attica cui quondam magno percuſſa tridente
Fudit equum tellus. Aderit frugumque repertrix
Et legum, cui ſancta faces attollit Eleuſis.
Ipſe aderit veteres non umquam oblitus amores
Mulciber: ille ſuæ jam nunc parat arma Minervæ:
Jam quatit impoſitis reſonantem incudibus Ætnam,
Incumbens operi, & duris Cyclopibus inſtat.
Sola Jovis conjux vobis favet: illa ſecundos
Eventus vobis, multùm obteſtata maritum
Extorſit: precibus Divæ, auſpicioque potentis;
Tranſire in veſtras poterit victoria partes:
Verum hac lege tamen (dictis advertite mentes)
Si Regi Actæo per vos impune licebit
Horrida ſanguinei tentaſſe pericula Martis.
Sin illum veſtris domitum ſors cæca ſub armis
Abſtulerit; moneo, infauſtas abſiſtite pugnas
Invitis tentare Deis. Sic volvere Parcas,
Ore meo verax vobis prædicit Apollo.
Talibus inſtructi monitis & numine Phœbi;
Non modò non ullos admittunt corde timores;
Verum ultro tollunt animos, ſpes maxima cunctis
Addita. Tunc ſenior Phocus; cui credita rerum
Incumbit moles, paretque exercitus omnis;
Concilium vocat, his & vocibus admonet ultro.
O Socii, quæ ſit nobis victoria lege
Conceſſa, haud dubiis dictis patefecit Apollo.

Nunc acie in media, ne cujus dextera peccet,
Admoneo: ah! ne quem laudis tam dira cupido
Præcipitet, facieſve exterreat ulla pericli,
Vt Rege oppreſſo rapiantur vota procellis.
Fas fugiſſe virum: quod ſi fortuna negabit,
Nec revocare gradum, neque vertere terga licebit:
Tunc ſi dulcis honos, magni ſi gloria facti,
Sollicitat: Codro jugulum præbere petenti
Ne dubitate: hoc & ſummum in diſcrimine tanto,
Eſſe putate decus, Codri cecidiſſe ſub armis.
Hæc bene ſi proviſa animo ſententia perſtet,
Cætera ſuccedent: nec enim diſcernere regem
Difficile eſt: omnis fortunæ ablata poteſtas,
In manibus veſtris poſuerunt omnia Divi.
At ne quis trepidos hæc transfuga portet ad hoſtes
Proſpiciam, & latè fines cuſtode tenebo.
His dictis, alacer ſe quiſque ad bellica vertit
Munia. Stelliferum interea nox humida mundum
Occupat, & feſſum componit in æquore Solem,
Quem fovet alma ſinu Tethys, reparatque jugales.
Jamque homines mollis ſopor, & genus omne ferarum,
Et Protei pecus omne, & picturata volantum
Agmina mulcebat dulci reſoluta veterno.
Ipſe etiam dux Cecropides (quamquam aſpera rerum
Volventem, dudum prohibent requieſcere curæ)
Paulum irrepenti demittere lumina ſomno
Cœperat, & dubios animi componere motus.
Cùm magnum gentis Pallas miſerata laborem,
Diffinditque umbras, ſeque improviſa jacenti
Objicit. Arma Deam oſtendunt, oculique micantes,
Et galeæ vittatus apex, & in ægide torvis
Ignibus intorquens morientia lumina Gorgon.
Alloquio dignata virum ſic infit; & altæ
Virtutis magnum dictis inſpirat amorem.

Codri

Codre, Viros longum ſi laus mittenda per ævum,
Immemores vitæ, quidvis tentare pericli,
Cuncta extrema pati cogit: ſi conditor urbis,
Alcideſque, & Pyrithous pro munere tanto,
Non veriti manes Erebi penetrare profundos,
Informeſque videre domos, regemque tremendum;
Tempus adeſt; in te poſſit quid vivida virtus,
Quid patriæ jurata fides, oſtendere factis.
Quas clades inimica urbi fortuna minetur,
Quos luctus paret, ipſe vides; qui ſceptra capeſſis
Attica, & ingentes regni moderaris habenas.
His niſi maturè ſuccurritur, omnia bello
Intremere, oppreſſamque armis flagrare videbis
Atthida, convulſas agris abigi undique prædas,
Incendi pagos, viduari rura colonis.
Parva loquor: veniet miles jactare paratus
In mea templa faces, & cingere mænia flammis;
Si dictis parere negas, & ſubdere colla.
Tu tamen his ne cede malis, ſed numine noſtro
Confiſus (niſi fortè tuo de pectore ceſſit,
Jam nulla & noſtræ ſupereſt fiducia curæ)
Diſce viam, miſeris qua ſola avertere peſtem
Civibus, & Patriam poſſis fulcire cadentem.
Mens quamquam refugit venturi conſcia luctus;
Meque tui miſeret: ſed me tua maxima virtus,
Et perſpectus amor patriæ, prædicere cuncta
Hortatur, quæcumque Deûm tibi fata reſervant;
Principio Argolicas ne ſperes Marte ſecundo
Poſſe acies ruere, & tantas diſſolvere vires:
Non opis hoc noſtræ eſt, celſi nec rector Olympi;
Hoc tibi concedit pacto defendere cives.
Ergo animis ades, & dignam Codro indue mentem.
Inachiæ gentis proceres, urbeſque Pelaſgæ
Velatos nuper ſcitatum oracula Phœbi

Miſerunt de more Viros; Proh cæca nocentum
Pectora! conſuluit Phœbum de talibus auſis,
Auctoreſque Deos ſperat ſcelus. Ille ſecundos
Eventus ſpondet, ſi te diſcedere campo,
Funeſtaque ſinant acie, incolumemque reverti.
Iamque adeo cautum eſt de te, Martemque videbis
Te fugere atque omnem in pugna tibi parcere dextram;
At tu falle dolis hoſtes, mixtuſque catervis.
Quære viam fatis; fatorum mille latebræ,
Mille cadendi artes: rapienda eſt ſemita leti,
Quam tibi bella negant: victor ſuperabitur hoſtis
Morte tua; tu ſidereas tranſlatus ad arces,
Adſcriptuſque Deis, contempta præmia vitæ
Poſt obitum majora feres, lumenque relictum
Illuſtri fama, ac toto penſabis Olympo.
Talibus exhortata virum Tritonia dictis,
Deſerit humanos converſo numine viſus,
Ocyus eliſus refugit quàm nubibus ignis;
Poſtquam terrifico percurrit lumine nimbos,
Obſcura ſub nocte cadens: mox conditur umbra,
Nec ſuper ulla fuga celeris veſtigia linquit,
Ille pavens tanto aſpectu, tremefacta cubili
Membra levat, magna veneratur numina Divæ,
Tum ſic voce refert: ſequimur te, ſancta Tonantis
Progenies, noſtræ columen ſpeſque unica gentis,
O Dea Theſeidum ſemper miſerata labores.
Non tibi nequicquam parent Pandionis arces;
Nec tibi confecto fruſtra redeuntia luſtro
Cecropidum è cœtu lectæ de more clientes,
Sacra ferunt calathis totam veneranda per urbem:
Et tua magnifico decorant altaria peplo.
Quas tibi pro monitu tanto gens Attica dignas
Perſolvet grates, aut quæ monumenta relinquet,
Queis tua magnanimi diſcant benefacta nepotes?

Ergo vincendi noſtris non omnis adempta eſt
Conditio, poteruntque graves prævertere caſus
Cæde mea: vincant, reditura pace fruantur:
Hac mercede licet victoria læta ſequatur:
Pone metum, patria, occaſu ſervabere noſtro:
Ibimus in mortem intrepidi, in media arma ruemus.
At tu importuni tam dira piacula belli
Dum luimus, ſi qua eſt præclari gratia facti,
Adſis, armorumque iſtos depelle fragores,
Armipotens: dignum ſpes hæc mihi corde vigorem
Incutiet, tunc me facies non ulla pericli,
Non ulla inviſæ mortis terrebit imago,
Omnia contemnam. Sacro ſic ore precatus,
Exſurgit ſtratis: tacitoque in corde volutat
Fata Deûm; magno laudum inflammatus amore,
Jam fruitur virtute ſua, jam nobile letum
Præcipit. Interea lætis hoſtilia campis
Agmina procedunt, primaſque in finibus urbes
Invadunt, Megara, & Pagas; Scironia linquunt
Saxa, inter claros Theſei memorata labores.
Dilectam Cereri prætergrediuntur Eleuſin.
Jam magis atque magis, belli gliſcente tumultu;
Actæis trepidatur agris: petit antra colonus:
Et procul e ſcopulo ſuccenſa mapalia paſtor,
Et raptas deplorat oves. Nec mitius urbe
In media trepidant matres, paſſimque per aras
Fœmineis Divos, & primam Pallada votis
Implorant: ardens procurrit ad arma juventus.
Unà omnes Regis certatim ad limina tendunt.
Ut, ſi quid fortè adverſi ſulcantibus undas
Puppibus, atroces venti, & tumefacta minantur
Æquora, reſpiciunt omnes ad juſſa magiſtri:
Ille ſimul puppi ſignum dedit, ocyùs omnes
Diſcurrunt tranſtris nautæ, expediuntque lacertos.

Haud aliter pubes armis exercita, Regis
Circum tecta fremit, ducique in prælia poſcit.
Ille manu tumidæ compeſcens murmura turbæ,
Ardorem laudat, placidoque ita pectore fatur,
Securus belli atque ſui: O, quodcumque pericli eſt,
Nunquam degeneres animi, quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & patriam impellit defendere virtus.
Hactenus exarſiſſe viros in prælia pulchrum eſt:
Nunc ſuper eventu, quæ ſit ſententia Divûm,
Accipite & rapidos animi componite motus.
Me proprio vobis præſentem arcere furorem
Sanguine fata jubent: Superis ego victima Divûm
Poſcor, ait, ſummum petitur caput. Ipſe Minervam
Hac nocte aſpexi: ſegnes quæ diſpulit umbras,
Seque mihi objecit cæleſti in luce videndam.
Illa mihi, modo quæ incertis reſpondit Apollo
Inachiis, monituſque datos vocalibus antris
Rettulit: hos fore victores, ſi ſoſpite nobis
Agmina concurrant, & ſit mihi vita ſuperſtes;
Vincendos; ſi me Pelopeïus hauſerit enſis.
Nunc igitur (nam certa fides, nec ludit Apollo
Mortales, nec vana Deam mihi finxit imago)
Si pietas animos, patriæ ſi cura remordet;
Me ſinite ire prius, ſolumque irrumpere in hoſtes:
Quandoquidem haud aliam nobis crudelia monſtrant
Fata viam, infandas qua poſſim avertere clades:
Stat monitis parere Deûm: prædicere viſum eſt:
Ne quiſquam tali poſthac me abducere cœpto
Cogitet, aut vanis impellat queſtibus aures.
Sic memorat, pugnæque haud ſecus eſſe paratos
Imperat, ac triſti migrandum edicit ab urbe,
Protinus ut roſeos aurora oſtenderit ortus.
Dant gemitum cuncti, & ſortem miſerantur iniquam;
Nec minus egregia Regis pietate moventur:

Hinc totam variis implent rumoribus urbem.
Jam rapidus Titan Pelagi pertaſus aquarum;
Conſuetos pulſa revocabat nocte labores.
Cecropidæ quamquam triſtes, & funere Regis
Non placet empta ſalus, nec habet victoria laudem;
Quo tamen adverſæ rapit inclementia ſortis,
Extremuſque vocat patriæ labor, ire neceſſe eſt.
Ire volunt, miſerum incapto deducere regem
Si nequeunt, certè infandum ſatiare dolorem
Strage virûm dabitur: ſtat Regis funus acerbum
Vlciſci, rapere inferias, multoque cruore,
Herois magni manes placare futuros.
Ipſe etiam pugnam ceu Marte obiturus aperto,
Ire parat Codrus, paribuſque accingitur armis.
Ecce autem iratum fatis ruit undique vulgus,
Matres atque viri, pueri, innuptæque puellæ,
Longævique ſenes; effuſi ad regia tecta,
Veſtibulum, denſaque domum obſedere corona.
Non ſe paſſuros rectorem occumbere leto,
Exclamant, Vatum non eſſe oracula tanti,
Non Phœbi tripodas: quidquid fortuna minetur,
Malle pati, magno vitam pro Rege paciſci.
Ergo improviſo turbantur mœnia luctu.
Pars urbis portas denſa ſtatione tuentur,
Atque omnes ſtipant aditus: amor ipſe rebelles
Efficit, egregiumque putant hoc cardine rerum,
Obſequium, rupiſſe fidem & contemnere Divos.
Sed nullo vulgi clamore inflectitur heros,
Propoſitumque premit: tunc Codri è vertice celſo
(Horrendum dictu) caleſtem erumpere flammam
Aſpiciunt, lenique attactu impunè per omnem
Cæſariem paſci, raptoſque incendere crines.
Noctua quin etiam ſumma deſcendit ab arce,
Et Regis ſupra caput adſtitit; inde per ampla

Atria ter, ſacroſque alis invecta Penates,
Palladis armiſonæ notas remeavit ad arces.
Tum verò ominibus non auſi obſiſtere tantis;
Proripiunt ſe ſe flentes, crudelia dicunt
Sidera, crudeleſque Deos. Non ſecius acrem
Rex conſcendit equum, & mœſta prorumpit ab urbe;
Armatus ferro; regem agmina tota ſequuntur.
Poſtquam progreſſi vaſtis tentoria campis
Dorica proſpiciunt, placuit conſcendere collem
Adverſum, mollique aciem diſponere clivo.
Hic rurſus labor eſt Regi cohibere catervas:
Tunc fato urgente, & leti diſcrimine parvo,
Et pudor & pietas animis redit: acer Opheltes
Proſilit in medios, tumidoque hæc intonat ore.
Non pudet, ô ſegnes, cùm rex deluſus inani
Reſponſo vatum, damnatam abrumpere vitam
Cogitet, & medios ruere incomitatus in hoſtes;
Non prohibere nefas, tantoque obſtare furori?
Cur ergo attonitam nuper cum linqueret urbem;
Huic alacres ſtudio tanto, armorumque paratu,
Exiſtis comites? An vallum ut deinde quietos,
Semotoſque omni retinerent caſtra periclo,
Proh pudor! immodico dum laudum incenſus amore;
Ipſe ſuo princeps alienas corpore clades
Excipit, & patriis ingens cadit hoſtia muris?
Hæc promiſſa fides? Sic ſe probat Attica virtus?
Scilicet hinc fato nobis victoria pendet,
Nec fas eventus aliter ſperare ſecundos.
Non ſatius pugnam invitis committere Divis?
Si cadimus, forti in pugna cecidiſſe juvabit.
Orabunt veniam cives, miſerebitur hoſtis,
Et quo quo infandum component fœdere bellum.
At nolent Rege extincto producere vitam:
Ec quem etenim poſt hoc turpem producere vitam

Dedecus, & cæli lumen ſpectare juvabit?
Duc age nos quo fata vocant, fortiſſime regum;
Quæ te cumque capit moriendi infanda cupido,
Non potes ante mori: tibi nos impendere vitam;
Officium jubet, hocque tibi juravimus omnes.
Poſtquam Cecropiæ pallentes cædis acervos
Videris, & noſtro ſtagnantem ſanguine campum;
Tunc moriare licet. Tales toto agmine voces
Rex audit, nec jam potis eſt inhibere furentes.
Quo graviter motu offenſus, quæ amentia, dixit,
Vos capit, ô Cives, ipſis non cedere Divis?
Deſinite ah! non me invitum ſervare poteſtis;
Quin potius cauſam dabitis mihi mortis acerbæ.
Hoccine me perferre nefas? ut tutus ab hoſte,
Indecores obeam pugnas, certuſque ſalutis
Ipſe meæ, adverſis peritura tot agmina telis
Objiciam: ſpectem mortes, ſtragemque meorum?
O mihi terra priùs reſerato Acheronte dehiſcat,
Me pater Æthereus ſtygias demittat ad umbras.
Sed neque abeſſe licet; nam detrectaſſe videbor
Martis opus, Dorumque graves metuiſſe pharetras.
Aut igitur peragam incœptum, quod maxima Pallas,
Ipſa mihi ſupera veniens mandavit ab arce:
Aut ſi veſtra meis obſtare amentia pergit
Laudibus, immiti fodiam mea viſcera dextra:
Eligite alterutrum, ſorti Deus æquus utrique eſt.
Hæc fatus vagina eductum fervidus enſem
Turbæ oſtendebat, juguloque aptare patenti
Velle, videbatur; ſummo cùm magnus ad aures
Ecce venit cælo ſonitus, clangorque tubarum
Auditur, ſaliunt eliſis fulgura nimbis
Cum tonitru: mox & diſruptis nubibus altum
Purgari, ſolitoque magis clareſcere cælum
Incipit, & largum tractu diffundere lumen.

In medio volucrem impellens Tritonia currum,
Terribili aſpectu cæleſtia concutit arma.
Qualem terrigenæ, & quantam videre gigantes;
Cùm valida impoſitos disjecit cuſpide montes,
Impia quos vetitis pubes admoverat aſtris.
Illa ducem ore ciens, inimica in caſtra vocabat;
Et cælo illuſtrem palmam oſtendebat ab alto.
Horreſcunt viſis animi, & quatit omnibus ingens
Corda pavor. Jam conſiliis obſiſtere Divûm,
Relligio eſt: regem manifeſto numine ferri
Agnoſcunt, veniamque petunt; nil denique reſtat;
Quàm patriæ lugere vices: quos optimus heros
Solatur: tum multa ſuo cum corde volutat,
Quem mortis det Parca gradum, quo limite cœptis
Pandat iter. Furor eſt clypeatis pectore nudo
Incurſare globis, & pugna accerſere funus.
Sed timet armato, ne certæ occumbere morti
Non liceat, mediis ſi Codrum in millibus ardor
Indomitus, factiſque retexerit ultima virtus.
Tutius hoſtiles commento fallere dextras,
Et regem obtegere; hæc potior ſententia ſedit.
Nunc mihi, quam ſe ſe in faciem converterit heros;
Calliope, memorare velis, quæ nube ſerenos
Condiderit vultus, ſævoſque fefellerit hoſtes.
Qualis ſe primò formoſi lumine Solis,
Matutinus agit tectis robuſtus arator,
Impreſſo pingues domiturus vomere glebas:
Qualis & è nemore in villam, lignator opaco
Cùm redit, injuſtoque humeros ſub pondere curvat;
Talem conſtituit duris ſe oſtendere Codrus
Hoſtibus, & ficti ſpeciem ſimulare coloni.
Continuo teretes abrupto crine cicadas
Decutit; attrito mutat conchylia panno,
Et lacero centone humeros ac pellibus hirtis

Aſperat.

Aſperat, injectu frontem cudonis inumbrat:
Tum paribus molli quas ante incluſerat auro
Adſtringit ſuras ocreis: fit tegmine toto
Ruſticus: impoſitum collo manus altera faſcem
Suſtinet attollens, curvum tenet altera ferrum.
Non meliùs quondam ſublimi extorris olympo,
Mortales viſus pagana in veſte fefellit
Cynthius, Admeti cùm magno incenſus amore;
Æmathias paſcebat oves, patulæque ſub umbra
Ilicis, & liquidas Amphryſi abjectus ad undas,
Divinum agreſti perdebat arundine carmen.
Tali ſe caſtris infert ſub imagine Codrus
Argolicis. Tunc miro hoſtes ardore fremebant
Protinus illatis pugnam committere ſignis;
Poſtquam Cecropidas ultro adventaſſe ſuperbos
Auditum, propiúſque locum inſe diſſe maniplis;
Hinc conferre manum furor omnibus: undique turmæ
Conveniunt; quales glomerantur in aere nubes,
Armigeram iratus volucrem cùm fulmina poſcit
Juppiter, aut quanti volvuntur in æquore fluctus,
Pleïadum ſurgente choro, & cùm murice Triton
Inſonat, & reſides clangoribus aſperat undas.
Interea paſſu haud timido per caſtra vagatur,
Permixtuſque viris Codrus, quo concidat, enſem
Huc illuc quærit, dextras circumſpicit omnes.
Qui rigido Codri transfigant pectora ferro,
Innumeri, ſupereſt moriendi quærere cauſas.
Mors illic, Erebi pallentibus excita ripis,
Errabat dudum, ſpe prædæ; animaſque recentes
Expectabat hians: non ullum Acheronte ſub imo,
Triſtius hac monſtrum: O quantos mortalibus ægris,
Informi aſpectu pareret per corda pavores,
Si cerni poſſet: propriis ſed operta tenebris,
Incertos refugit viſus, neque cernitur ulli.
Buſta colit, cæcoſque æterna nocte receſſus,

Tartareumque gelu : ſed quamquam frigore torpet,
Non tamen inceſſu tarda eſt, neque ſecius omnes
Aſſequitur: tunc autem unum (mirabile dictu)
Sponte fugit Codrum, ſoli eſt innoxia Codro;
Huic omnis capiti torpet manus. Ille morantem
Increpat: O terras pariter metuenda per omnes,
Mors domitrix rerum, nulli exorata poteſtas.
Si te nulla poteſt meritis inflectere virtus,
Non pietas, non ulla movet reverentia legum;
Non alta ipſorum penetrantem limina regum,
Majeſtas, foribuſque valent arcere ſuperbis
Excubiæ, & fido vigilati milite poſtes.
Reſpice me, en ingens adſum tibi victima Codrus;
En adſum; ſcis ipſa, neque eſt te fallere cuiquam.
Tuque adeò, egregii dux, O Tritonia, facti,
Annue virtuti facinus: da ſanguine fuſo
Tutari patriam, & depellere finibus hoſtes.
Talia volventi, ut denſum tranſire parabat
Per cuneum, occurrit miles, pœnaſque daturum,
Ni procul abſiſtat, truculenta voce minatur:
Vixque manus cohibens: quonunc, turpiſſime, greſſum
Tendis? ait. Tune in medias nunc ligna cohortes,
Segne miniſterium, cùm turbidus agmina Mavors
Inſtruit, & ſummum jubet expectare laborem?
Certè aut Cecropiis huc explorator Athenis
Irrepſti; aut ſcelerum furiæ, & gravis ira Deorum
Damnatum exagitant. Jactanti talia Codrus
Intentat falcem, atque acie femur haurit apertum;
Verbaque non tenuit rabidos motura furores.
Sævit atrox juvenis, ſeque indignatur inerti
Percuſſum dextra: qualis ſubit ira, draconem
Quem viridi ripa captantem frigus in herba
Incauto paſtor preſſit pede; continuo aſpris
Sentibus ille caput torvum, & tumefacta veneno
Colla levat, ſpiriſque undantes grandibus artus

Niſibus alternis trepidum convertit in hoſtem.
Fulmineum extemplo vagina liberat enſem.
Quem ſimul ante oculos vidit ſplendeſcere Codrus,
Occurrit pronus votis, nec vota moratur
Atropos; adſtantem nam contrà, & ficta moventem
Jurgia, fatifero impatiens tranſverberat ictu
Miles, & egelida moribundum extendit arena.
Undique conveniunt, propiúſque exangue cadaver
Explorant: patuit decepti militis error:
Agnoſcunt regem. Quod cuncta per agmina poſtquam
Vulgatum eſt, cecidere animi, nec jam amplius armis
Fortunam tentare placet: ſtat ſortis iniquæ
Declinare vices, Superûm ſententia quando
Verſa retro, certaſque fuga prævertere clades.
Sic tota infectis acies ſe rebus ad oras
Mœſta refert patrias: votis dejecta cruentis
Ingemit, & rabidos volvit ſub pectore motus.
Mœret enim incaſſum tantos cecidiſſe labores.
Attica tunc pubes curſus ſortita ſecundos,
Ingentes campis potuit dare cædis acervos,
Inferias, magnique piacula principis umbræ;
Si dolor hanc ſineret trepidis inſtare catervis.
Sed neque Cecropidum pugnare ex agmine quiſquam
Suſtinet: uſque adeò mœrentia pectora luctus
Debilitat: largos paſſim manare videres
Per galeas fletus, humentia fletibus arma.
Herois tamen invicti virtute ſuprema
Servati, Dîs auſpicibus poſuere trophæum.
Hinc gemitu magno, corpus miſerabile tollunt.
Nec minus Actæas fama volitante per oras.
Perculſa ingenti turbantur mœnia luctu.
Deſerüere domos, paſſis ruit undique portis,
Mœſta cohors, latos ut quondam aſſueta per agros,
Impellente Deo: cùm Thebaïs orgia buxus
Indicat, & thiaſos vocat in nemora alta Sacerdos.

Quacumque incedunt, ſonat omnis ſemita planctu;
Longa per attonitos gliſcit querimonia pagos.
His quoque ſe agreſtum miſerabilis undique turba
Agglomerat, quibus eſt eadem jactura dolori;
Et vacuum immenſis ululatibus æthera complent.
Reſponſant nemora & valles, perculſaque longè
Litora: qua ſuperas exit Lycabetus ad auras,
Qua Parnes, qua grata apibus juga pandit Hymettos;
Florenteſque madent cæleſti nectare ſaltus.
Qua nemoroſus aquas inter virgulta ſonantes
Incitat Iliſſus, non ullo triſtior unquam
Tempore: non gelido veniens cùm raptor ab axe;
Ludentem ripis, Nympharum ululante caterva,
Turbine correptam ſubito abſtulit Orithyiam.
Hos inter luctus corpus defertur in urbem.
Quo poſtquam ventum eſt, ceu primum objecta dolendi
Cauſa foret; poſitum plangunt ſine more parentem;
Inſanire juvat; diducunt pectora matres;
Non baccæ collo, non comptis crinibus aurum,
Non comptæ manſere comæ: lacerantur amictus:
Nec pudor eſt violare genas; dolor omnia cogit.
Quin etiam rabidi multos violentia luctus
Compulit inter ſe verſis concurrere telis.
Proſtratas alii devolvunt montibus ornos;
Intactum ſeclis rapitur nemus; alta ferarum
Procumbunt ſtabula, & plauſtris onerata trementi
Axe tonant: fugiunt Dryades, trabibuſque reſectis
Relligio, læſæque perit reverentia ſilvæ.
Continuo ingentem congeſtis æthera ad altum
Arboribus ſtruxere pyram; cui multa papyrus
Intexit latera, & mixtis cupreſſus odorem
Aſpirat lacrymoſa comis, tunc flebile corpus
Tollitur, imbutum ſuccis bene-olentis amomi.
Diſcincti circum juvenes in veſtibus atris
Dona ferunt, Arabum è ſacris fragrantia lucis.

Ecce autem de more facem Libitina coruſcans,
Subjicit ipſa pyræ, quem pineus ardor acervum
Ut tetigit, campo ceu liberiore potitus,
Huc illuc ruit immiſſis Vulcanus habenis,
Perque trabes crepitans errat, ſeſeque per omnem
Fundit congeriem, & ramalibus implicat atris;
Donec ſumma pyra aſcenſu faſtigia vincat.
Tunc quoque nec rapidum potis eſt inhibere furorem,
Semper in excelſum tendens, jamque arduus arces
Ætherias, mundique ipſum ſuperare cacumen
Velle videtur, & aſtra ſuper jactare favillas.
Non minus exuperat luctus, populumque per omnem
Rumpit fræna dolor. Quæ dona immittit in ignes,
Non abolenda rogis! Quid enim juvat addere flammis
Illuſas auro & concha Sidonide veſtes?
Atque aliis animam fruſtra accumulare ſuperbis
Muneribus, curæ nil ultra talis egentem?
Quid raptas, cinerem in medium jugulare bidentes?
Non tamen interea abſiſtunt miranda referre
Facta viri, qui verus honos Acheronte repoſtis.
Maxime Cecropidum vindex, dum vita manebat,
Nec minus egregio vitam dum vulnere linquis,
Cujus nunc morte, infando ſervamur ab hoſte,
(Sic viſum Superis:) Quando hæc tibi ſemita fatis
Ad decus æternum pridem conceſſa patebat;
Nil opus eſt vanis cælum pulſare querelis.
Jam tibi Cælicolûm ſtellata in templa recepto,
Præſtiterit meritos actutum reddere honores,
Et laudes memorare tuas: te decolor Indus,
Te fuſcus decantet Iber; te quiſquis Orontem,
Et Peluſiaci fontes bibit accola Nili.
Quis fueris, feri diſcant, memorentque nepotes:
Quam præſtans animi, quàm fortis adire labores
Pro patria, & ſummis caput objectare periclis.
Auſus ut invito cultum mentitus ab hoſte

Extorquere decus, vetitamque arceſſere mortem.
Tantus amor laudum. Non te effrænata libido
Detulit in luxum, in facinus, turpeſque rapinas:
Non ignara modi ambitio, per inania cœpta,
Sumptibus inſanis populum exhaurire coegit:
Nec tibi tam curæ, quantum ditione teneres,
Quàm placidas juſtis componere legibus urbes;
Compoſitos longa cives in pace tueri.
Quis regum, quorum volitat nunc fama per orbem,
Tale decus vitæ cernens, verumque laborem,
Res poſthac jactare ſuas audebit? An armis
Oppreſſas latè gentes? Quas verterit arces,
Quas campis dederit pugnas, quæ funera? quanto
Legibus inſultet faſtu, quo pondere regni,
Incumbat populis, tremefactaſque obruat urbes.
Quem non pertæſum potius ſua triſtia facta,
Degeneremque animum, & furias vixiſſe pigebit?
Tales, Muſarum tota aſpirante caterva,
Manibus inferias magnis, melioraque ſignis
Dona ferunt, meritæque ineunt certamina laudis.
Jamque habet urna pios cineres: hanc marmora circum
Ædificant, fletu magno; vocemque ſepulchro,
Inducunt, titulis ipſa ut monumenta loquantur.
Hoc jacet in tumulo proles generoſa Melanthi,
Codrus, Erechtheæ dominator maximus aulæ.
Hic nullo heroum, quos Attica jactat alumnos,
Sublimi inferior genere, & præſtantibus armis,
Multum alios inter, pietate excelluit, omnes.
Mors teſtis, ſpretumque jubar, quod ſponte reliquit,
Abſtulit ille ſcelus fatis, cùm cerneret urbem
Turbatam triſti bello, nec poſſe reſiſti
Soſpite ſe: patriæ extremum ſpectare laborem
Indocilis, ſtetit adverſus, cæcoque ſub ictu
Expirans, ſævos, dum concidit, obruit hoſtes.

GALLORUM
INDICA NAVIGATIO
COMMERCII CAUSA,
LUDOVICI MAGNI
AUSPICIIS.

QUI fragilem primus ventis committere puppim
Auſus, & incerti per mille pericula ponti;
Quærere longinquas alio ſub cardine gentes;
Quidlibet audendi exemplum Mortalibus ingens
Præbuit; haud veritus rerum tranſcendere fines,
Et latè undantes Nerei tranſmittere campos.
Illum etiam tenues curſum intendiſſe per auras
Crediderim; illum etiam venas Telluris opacæ
Scrutantem, Ditis manes ſubiiſſe profundos.
Non tamen iratis prorupit in æquora Divis
Quicumque ille fuit: cupidis via facta per undas
Gentibus: optati ſinuarunt carbaſa venti.
Ac neque Neptunus, Neptuniáque Amphitrite
Offenſi curſu: triſtes attollere fluctus
Nam poterant, ratibus totas immittere Syrtes;
Et pavidos Nautas canibus lacerare marinis.

Sed riſere nefas, parvæ molimina dextræ,
Exiguam incerto volitantem flamine pinum.
Quin etiam pictæ varia armamenta carinæ,
Et minio inſignem proram, tortóſque rudentes
Spectatum è vitreis virides Nereïdas antris
Iſſe ferunt, alacri teſtantes gaudia plauſu.
Scilicet abjunctos homines ſic fata ferebant
Miſceri, latè amplexum quos dividit æquor:
Ne qua foret Tellus noſtris incognita Nautis:
Tum quas immenſum fudit Natura per Orbem
Communes ut opes fierent. Sic India nobis
Mittit ebur, ſacros Panchaïa thuris odores,
Rara Palæſtinæ mutant opobalſama valles.
Nos Scythici velant mures, nos vellera Coa;
Nos Syriâ pictos terimus Babylone tapetas.
Denique quod montes uſquam, quod inhoſpita ſaxa;
Immanéſque ferunt ſilvæ, ſaltúſque ſilentes:
Quidquid Erythræis format Neptunus in undis;
Sacra quod occultat ſpatioſo gurgite Tethys;
Quicquid habet Natura, oras commercia in omnes
Tranſmittunt, pelago curvis famulante carinis.
Phœnices primi (ſi vera eſt fama) paratis
Haud contenti opibus, ſive illis invidus Æther,
Triſte ſolum; patrias aliena ad littora puppes;
Applicuêre; & quo Titan ſua lumina condit,
Et quo formoſos attollit gurgite vultus,
Omnia viſentes latè loca, mercibus altam
Ditavere Tyron. Quid? non & ſidera, cæcos
Quæ regerent curſus, obſervavêre, ſuiſque
Prodita nominibus ſeros docuêre nepotes?
Pòſt laudum ſtudio & fatis impulſus Iaſon,
Peliaco natas ſuccidit vertice pinus;
Fatidicámque ratem Ægæas deduxit in undas.
Nec prius undoſum remis impellere marmor

Deſtitit,

Deſtitit, Heroümque graves curvare lacertos;
Quàm tetigit rauco pulſatas Phaſide ripas,
Monſtriferáſque domos, ubi torvus vellera ſerpens
Auratis cuſtodibat fulgentia villis.
Hæc ut ſanguinei luco pendentia Martis
Auferret, non Cyaneas irrumpere cautes
Expavit, non peſtiferos cuſtodis hiatus,
Non armenta atros volventia naribus ignes.
Hanc & diverſæ, Priſcorum exempla ſecutæ,
Tentavére viam gentes; & divitis Indi
Merces Europam comportavêre per omnem:
Multáque ſunt Liguri nuper detecta Columbo
Ignota Antiquis: longè ditiſſima regna
Trans Gades, fulvo radiantia cuncta metallo.
Hinc Luſitanæ puppes, puppéſque Batavæ;
Nec non & flavis multùm freta pulſa Britannis.
Sola peregrinas deſpexerat hactenus ingens
Gallia adire plagas, alióque ſub axe repoſtas
Quærere opes; non portu audax deducere claſſes
Omnia viſuras alieni pignora Mundi;
Sat propriis felix rebus, contentáque glebas
Exercere ſuas, & lætos palmite colles.
Nunc quòd & has animis ſtudioſius arripit artes;
Expediam dictis atque ordine ſingula pandam.
Nam memini, faciles ingens ubi Sequana lymphas
In mare purpureum evolvit, vidiſſe Napæam
Errantem virgulta inter cingentia ripas:
Me glaucæ ſalices, & multa tegebat arundo;
Atque illa adſpectans puppes, quas anchora morſu
Vicinum ad portum retinebat, & æquora latè
Ridentes tenui vento criſpantia fluctus.
Quid puppes, inquit; vobis, quid carbaſa proſunt;
Quidve juvat tantos pelagi perferre labores,
Francigenæ? quibus ipſa procul fallacibus undis

Securum indulget victum latiſſima tellus.
Illi Pleïados fremitum experiantur aquoſa,
Et formidatum nimboſi Orionis enſem,
Fluctibus in mediis vallati corpora ligno;
Quos montes, quos ſaxa tenent immania; quorum
Vrit agros ardens propiori lampade Phœbus:
Et quorum aſſiduis caneſcunt arva pruinis.
Vobis fœcundi tractus, & mollia rident
Sidera: non Cereris deſunt, non munera Bacchi.
Nuſquam largior autumnus: nec pluribus uſquam
Læta bonis, ſilvas curvat Pomona feraces.
Lanigeræ per prata vagis humentia rivis
Paſcuntur pecudes, quot non per opaca Lycæi,
Egit arundineis permulcens otia cannis,
Pan Deus Arcadiæ; ſudant ad aratra juvenci,
Grandia languentes demittunt ubera vaccæ:
Multus & hic campos ſonipes hinnitibus implet.
Dat cælum volucres, quarum pars altera menſas
Inſtruit, umbroſis Dryadum pars altera lucis
Involitans, dulci recreat modulamine mentes.
Tum paſſim incauti veniunt in retia piſces.
Hic ſacer impellit fecundas Sequana lymphas;
Sequana nunc major Tibri & ſeptemplice Nilo:
Hic Ligeris piſcoſus, Aquitanúſque Garumna,
Nectareos inter tranſmittunt flumina colles:
Hic Rhodanus ripis ſaxoſum immurmurat; in quem
Lentus Arar placido illabens ſe gurgite fundit.
Multa quoque interiore alvo Telluris opacæ
Proveniunt, auri haud fulvis cedentia glebis,
Vtilitate ſua: hinc lapides ferrique metalla
Eruitis, variæ unde artes, hominúmque labores:
Altius & celſas formoſa Lutetia moles
Attollit templorum, & cælum vertice pulſat.
Quid memorandum æque vobis Gangetica regna

Bengaleique ferant ſaltus, aut fuſcus Orontes?
Hæc Nymphe, & nemorum exiliens ſub opaca receſſit.
At non in tenues abierunt dicta procellas:
Ritè mihi ſi facta Deûm conſultus Apollo
Scire dedit: tunc vicino Galatea profundo
Inter cæruleas carpebat penſa Sorores,
Quæ ſimul hæc dicta accepit, commota ſonantem
Neptuni thalamum ingreditur, vultúque ſevero,
Nympha, ait, umbroſa vicino margine ripæ,
Dum patrias miratur opes, tua Numina temnit
O pater: uberibus pollens quòd Gallia ſulcis,
Nequicquam latis cives emittere fundis
Deſtinet, & duros pelagi perferre labores;
Externas ſibi opes ut per freta longa requirat.
At tu Francigenis promptam ad commercia mentem
Da pater, ut crebros tendant ſuper æquora curſus.
Mox etiam ut videant Dryades, quæcumque Pyrenen
Præcinctáſque tenent ſilvis horrentibus Alpes,
Ingentes nemorum altorum procumbere faſtus,
Frondiferúmque ſupercilium: percuſſa bipenni
Undique vaſta cadant tremefactis robora truncis,
Undique & in noſtros deſcendant pinea fluctus
Brachia, Hamadryadum fruſtra indignante caterva.
Summus ad hæc ridens tumidarum Rector aquarum:
Parce metu Galatea: manent immota profundi
Jura maris, neque fas noſtrum contemnere cuiquam
Imperium: Quin illa ſui quæ munera cæli
Hactenus, & largas mirata eſt Gallia meſſes,
Contemptrix pelagi; mox fortes vivida Alumnos
Collibus è patriis Eoa ad littora mittet,
Regis Magnanimi auſpiciis, cui gloria mentem
Aſſiduis pungit ſtimulis, perque omnia verſat.
Hic ille eſt, populis donatus munere Divûm,
Notus ab Heſperiis ingens LODOICVS *ad Indos,*

Notus ad Heſperios ingens LODOICVS *ab Indis:*
Maximus Heroum: ah quoties ſpectatus in armis,
Quæ bella exhauſit totum memoranda per orbem,
Dum Patria infenſos virtute retunderet hoſtes?
Quantos obtinuit terrâque marique triumphos?
Nunc etiam optata populi dum pace fruuntur;
Ipſe alias rerum moles, nova pondera verſat;
Et numquam ingentes patitur requieſcere curas.
Illum Barbaricis pridem infeſtata rapinis
Sollicitat Libye, prædonum fortibus armis
Proturbare domos: ſulcabunt æquora claſſes
Francigenûm, bellum Mauris, cædemque ferentes.
Ah! quanto Libycum ſpumabit ſanguine litus.
Illius & Thracum adverſus furialia cœpta
Sentiet Orbis opem. Tum Numine concita tanto
Gallia ſe in cunctas cupiet diffundere gentes:
Et longinqua novos deducet in arva Colonos.
Ceu ſylva umbrifero quæ cælum obnubit amictu,
Diverſas latè frondentia robora in oras
Materiem immenſam mittit, laxátque frequentes
Non invita comas, ultróque umbracula donat.
Tunc Indi extremas conviſet puppibus urbes.
Hæc quoque Carpathio noſter ſub gurgite Proteus
Gallorum Regi fatis promiſſa canebat.
Verùm ipſe & tantis addam nova ſemina rebus.
Eſt mihi ſecretis Indorum in fluctibus, unde
Formoſa educit rutilos Tithonia currus;
Lumine gemma micans divino, viribus ingens:
Quæ poſſeſſori miros in corde vigores
Conciliat, rerúmque maris facit eſſe potentem.
Hac fretus tantum Pelagi tranſmiſit Iaſon,
Optatúmque tulit Phrixei velleris aurum,
Nam dederam, magno juveni devinctus amore.
Hac quoque ad occaſum celeber tot regna Columbus

Detexit, claróque implevit nomine Mundum.
Hanc etiam LODOICO *addam pro munere, rerum*
Quò magis Indarum ſtudiis ſe Gallia jactet,
Exteráque aſſiduis foveat commercia curis.
Verùm illi & placido ſubmittam gurgite fluctus:
Ipſe opportunos adducam in carbaſa ventos,
Ne qua maris, calive citis mora puppibus obſtet.
His tum Neptunus triſtem Nereïda dictis
Affatus, vanos excluſit corde timores.
Nec minùs & Mundi curas diviſus in omnes
COLBERTUS, *Divûm quem nulla oracula fallunt,*
Gallum accendebat populum dare carbaſa ventis;
Tales & fido mittebat pectore voces.
Nunc, ô Francigenæ, ſpirant quando omnia votis;
Quò ducunt immota Deûm conſulta, ſequamur.
Excultam ſatis & mitem ſine mercibus Indis
Si nemo ſe poſſe putat traducere vitam;
Cur non hæc ipſi petimus ſolatia vitæ?
Cur nobis Rheni extremis nutritus in ulvis,
Has importat opes puppis moderator avara,
Immenſum paucis referens pro mercibus aurum?
An quia non vires Juvenum, non fortia nobis
Pectora, non genus acre virûm experienſque laborum?
At quibus Hectoridum factis non cognita virtus?
Quæ gens fortior, aut caſus tentare marinos,
Aut bellum, ſi quis tantis obſiſtere factis
Audeat? aut cui Rectoris fiducia tanti,
Quantus majeſtate altâ LODOICUS *& armis?*
Quare agite, ô cives, ipſi Nabathæa petamus,
Si quid habet tellus noſtris optabile rebus.
Non deerunt vires; adſit modò firma voluntas.
Præſidium invictum ratibus Rex magnus & arma
Expediet; curſus pandet fortuna ſecundos;
Omnia ſuccedent tanto Duce & auſpice tanto.

His miro accenſus Patriæ COLBERTVS *amore*
Tollebat dictis animos, & ad alta vocabat.
Natus ad augendos Patriæ COLBERTVS *honores:*
Primus qui Regis famam, non marmore caſo
In vultus, fuſove animatis ære figuris,
Sed vatum numeris colit, & modulante caterva.
Macte nova pietate, quibus tua laudibus æquem
Conſilia? ô Regis virtutum maxime vindex:
O Heliconiadum præſens tutela Sororum,
O Patriæ. tibi Tuſcus eques, tibi Pollio tantum
Concedant, quanto eſt belli paciſque tuendis
Artibus, Auguſto LODOICVS *Cæſare major.*

AD LABOREM.

ODE.

ALme virtutum Pater, atque cuſtos,
Omnium rerum, LABOR, *architecte,*
Huc ades, pigrumque meo repelle,
Corde veternum.
Te prius ſegni trepidans egeſtas
Intulit mundo, ſimul aſtra cepit
Juppiter, lætiſque patrem coegit
Cedere regnis.
Otium terris ſimul & voluptas
Priſca deceſſit melioris ævi;
Preſſa tunc primum doluere gentes
Flumina lactis.
Juſſa cum tellus tetricam malignis
Induit ſpinis faciem, & quietos
Illaboratas vetuit per agros
Surgere meſſes.
Tunc humo flavam Cererem negante;

Fudit hirſutas agitata glandes
Quercus, & dumis tenuem revulſa
Bacca ſaporem.
Sed fame preſſis validum affuiſti
Gentibus numen, reſideſque aratro
Excitus cœpit duce te colonus
Vertere glebas.
Tunc jugo preſſus caput inſolenti
Mugiit taurus, gemuit carinis
Icta vis ponti, ſtrepuere natis
Artibus urbes.
Tu potes celſos ſuperare montes,
Amnium effrenos cohibere curſus;
Hercules per te domuit furentis
Monſtra noverca.
Turbidi lentos Acherontis amnes
Victor, & furvi mala regna Ditis
Terruit; claras meruitque patris
Scandere ſedes.
Huc ades noſtris alacer camœnis;
Neve me calles ſubeuntem iniquos
Deſeras, curis mea mens nec ullis
Vita fatiſcat.

AD JACOBUM MENTELIUM,

DOCTOREM MEDICVM PARISIENSEM.

Quod Studioſi quovis tempore Muſis vacare poſſint.

Agricolam tecti tenet importuna ſub umbra
Tempeſtas, denſo cum ruit imbre polus;

Nec ſolitum permittit opus. Nemora alta relinquit
Paſtor, & abductas in ſtabula, abdit oves.
Spectat iners portu ſubductas navita puppes,
Iratum ventis cum mare turbat hiems.
Nec venator habet quod agat, cum nubila cælum
Cingunt, & fœdis imbribus arva madent;
Aut jacet in ſtratis ſomno reſolutus inerti,
Aut multo fallit tædia longa mero.
Muſarum ſoli non obſtat tempus alumno,
Huic doctum quovis ſidere conſtat opus.
Si bruma eſt, ſtudet ante focum; nemoroſa ſecundum
Flumina, ſi toſtos Sirius urit agros.
Seu pluvia eſt, ſeu flant veſano murmure venti,
Seu nepa pampineas grandine vexat opes;
Illum conſuetus retinet labor, inclyta volvit
Priſcorum haud ſegni tunc monumenta manu:
Aut aliquid doctis arat indelebile chartis,
Mollibus adſtringit libera verba modis.
Sic te, Menteli, ſi quâ, intractabile cælum
Non ſinit agrorum pellere more fores;
Intentum libris, veterumque obſcura medentum
Scrinia verſantem Pieris umbra tenet.
Me quoque non pluvia hæc invitum verna moretur,
Hoc tibi ſi cælo carmina nata placent.

IN SOPHISTAS
SATYRA.

Caucaſeas ultra rupes; Tanaimque nivalem
Hinc fugere, æternaſque poli luſtrare pruinas
Eſt animus; quoties Naturam pandere dictis
Audent degeneres Muſarum opprobria fuci.

Nam

Nam quis tam patiens, ut non ringatur, inertes
Cùm videt, ignaroſque viæ, quos lumine lævo
Sidera naſcentes, totuſque exhorruit Æther;
Quos Phœbus, Doctæque fugant Helicone Sorores;
Se ſe ferre duces, aſtu ſimulare magiſtros;
Et caliganti per fraudem irrepere ſeclo?
Immo hæc aſpiciens nebulonum retia, quis jam
Temperet à riſu? balbâ cùm nare Lycotas
Ingerit Arcadicæ rerum portenta coronæ,
Auriculis aſini, & torpentibus apta Corœbis.
Detinet attonitam nugis cum Papilus urbem;
Papilus, haud illo ſapientior, area meſſes
Quo tundente ſonat; vel qui mordente pruinâ,
Maturas ſtringit ſuibus jentacula glandes.
Quæ tamen incepti ſpes aut fiducia tanti
Excitat indoctos? novitas quæ funditus omnem
Nunc urbem incenſam rapit, atque improvida turbat
Pectora: ſic omnes paſſim juveneſque ſeneſque,
Tam qui ſaxa terunt pedibus, ſellâve feruntur;
Quàm quos auratâ ſuſpenſos corpora rhedâ,
Pulverulenta trahit celeri rota concita bigâ,
Auribus arrectis confuſas undique voces,
Incertoſque ſonos, & famæ murmura captant.
O quantos animis novitas accendit amores!
Præſertim indoctis: nimium eſt antiqua Lycæi
Et ſpiſſo cooperta ſitu ſapientia, tetris
Quin etiam vallata rubis; non ardua nobis
Illa placent; non illa ſcholas jam trita per omnes,
Quæ bonus Harcuris quondam dictabat alumnis
Capreolus; liceat meditando extundere dogma
Indictum, validâ an nulla ratione probatum,
Nil refert: etiam in falſis delectat acumen;
Dulcius & quicquid Genius ſine lege figurat.
Si Natura negat nova cælo educere monſtra;

At revocare pedem fas, & Titania ſæcla
Scrutari: hinc aliquid monſtri inſtauraſſe juvabit.
Proderit & craſſum Sexti verſare volumen.
Sit primus placuiſſe labor; cura ultima veri:
Pauci etenim falſis verum diſcernere poſſunt,
Uſque adeo in populos jam latè inſcitia regnat.
Præterea frons dura, novis aut nulla magiſtris.
Poſtremo quid non Mortales cogit egeſtas?
Non illis ſtudium armorum, non ulla coluntur
Prædia; non celeres Indis onerare carinas
Mercibus, iratoſque boni tranſmittere fluctus:
Aut inſtaurandos fluvio conducere pontes:
Non illas tractare artes quibus ardua Pindi
Templa ſonant; quibus aut pollens examine ſancto
Librat jura Themis & totum ſuſtinet orbem:
Aut quibus exangues pelluntur corpore morbi;
Aut quarum auxilio ſemper munita potenti
Relligio, Divûm populis oracula pandit.
Quæ cum illis deſint vitæ inſtrumenta tuendæ,
Quid ſupereſt niſi jam incautis ut retia tendant?
Non illis libri, niſi quos Carteſius alto
Ab Jove demiſſus, Sophiæ flos ipſe, medulla,
Edidit: hunc unum ut Numen venerantur, adorant
Attoniti: hoc uno ingenium de gurgite ſumunt.
Quid mirum? An Græcis hauſtum de fontibus irent
Linguarum expertes penitus, quas doctior orbis
Excolit? Hinc illis Graja, Latiaque Minervæ
Sordet honos: ſordet, cui plaudunt undique Docti,
Magnus Ariſtoteles, nil illos inclyta tanti
Fama ducis, veterumve movent monumenta virorum.
O fortunati! queis nullo cuncta labore
Naturæ ſecreta patent; quibus exit apertam
Protinus in lucem verum, puteumque relinquens
Democriti, ſe ſe ipſum ultro potantibus offert.

Quid memorem quos infernis redivivus ab antris
Detinet umbroſo ſenior Gargettius horto?
His tenues atomi immenſum per inane volantes
Dis miſcent ſuperis: illis corpuſcula ſcindi,
Sed ſine fine placet; nullum intercedere inane:
Tam tenui errorum inter ſe diſcrimine pugnant.
Caſſus uterque labor: namque hæc primordia rerum
Qua firmant ratione, aut qua experientia veri?
Scilicet hæc gratis ſciſcunt, foribuſque ſuperbis
Affigunt: dubitare nefas, nemo hiſcere contrà
Audeat. Incaſſum quiſquam, hos mihi ſolvite nodos
Exclamet: furor his & pro ratione libido:
Sic placitum: hæ leges animis, hæc fœdera ſunto.
Horum ego non fugiam ambages, ludibria, larvas?
Hinc ego non fugiam? cùm me cerebroſus Hydaſpes
Ignorare jubet, quo ſit roſa tincta colore,
Quo niteant violæ, quo ſurgant lilia vultu:
Nec patitur calidos ignes, gelidum aëra dici,
Tunc cum triſtis hiems torpentes alligat undas.
Scilicet id deerat nugis, excludere ſenſus,
Et caſſam æternis mentem damnare tenebris:
Nil ut noſſe queat, nil uſquam abradere veri.
Proinde & nutantes hîc Pyrrho invenit alumnos.
Quamquam hoc turpe minùs dubias ſuſpendere mentes,
Judiciique vetare vices, quàm ponere nugas,
Quàm portenta ſequi, & tetros ſancire furores.
Nec tamen hæc ſtolidum turbant contagia vulgus
Uſque adeo, & totâ penitus dominantur in urbe,
Quin nobis errorum hoſtes hodieque ſuperſint
Indomiti, recto ad verum qui limite tendant.
Horum ad ſecuros portus è fluctibus ævi
Me refero, dictiſque animum ſuſtentor amicis.
Eſto, me veterum heroum monumenta terentem
Non probat Orthrophagus, nec craſſi inſulſa Lycotæ

Pectora, quos ſtolidis bullis Carteſius inflat.
At bonus & grandi ingenio ſuper Æthera notus,
Me probat Alcimedon, meque in ſecreta vocatum,
Sæpè jubet denſis veterum conſulta tenebris
Eripere, & doctis præbet ſermonibus aures.
Me quoq; præſtantes laudant Phraſidemus & Alcon,
Et ſenior Manthus, ille in penetralibus altis
Qui centum tibi, Phœbe, aras & templa dicavit:
Sæpe quibus docta mutant Helicona ſorores.
Tum mihi facundus ſe jungeret ipſe Menalcas,
Vſquam ſi Sophiæ certis conſiſtere poſſet
Sedibus; aſt illum partes incertus in omnes
Ardor agit, cuiquam indocilem dare nomina ſectæ.
Puppis uti variis, per pontum impulſa procellis
Fluctuat, & modo ad occaſus, modo fertur ad ortus,
Diverſaſque procul mirans perlabitur urbes.
His fretus poſſim indoctum contemnere vulgus:
His famam ſperare, & cœlo attollere vultus.
Scilicet haud ſemper vanis inſcitia nugis
Deludet mentes, deliraque ſomnia volvens,
Audebit ſolido prætendere nubila vero.
Tempus erit, cùm pulſa animis, meliore ſereno,
Lux redeat, tandem & turpes Mortalibus umbras,
Dimoveat: ſi me haud Divûm præſagia fallunt.
Nuper enim, viridi ſpatior dum lentus in umbra,
Aſcræa ſub rupe, vocoque ad carmina Muſas;
Ingentem aſpicio candenti corpore Cycnum,
Quem modo Pimplæis turbaverat improba ripis
Vſque Aquila, & roſtro ferrato atque unguibus uncis;
Acrius in violentam hoſtem conſurgere pugnâ
Et male poſſeſſis multatam expellere ripis.
Vidi & confuſa nubem caligine ſacris
Incubuiſſe jugis, denſoque Heliconis amictu
Amplexam ſylvas, magno mox lumine ſciſſam

Depelli, & tenues penitus vaneſcere in auras.
Tum mihi Telebous Vates, haud ultima Pindi
Gloria, cui Phœbus citharamque artemque medendi
Conceſſit, cum primum agiles Carteſius orbes
Volveret, & novus inſtrueret nova monſtra Prometheus,
Narrabat monitu haud dubio ſibi miſſa Deorum
Portenta. Aoniis cùm fortè in vallibus, inquit,
Errarem, dulces volvens ſub pectore curas,
Acriùs incenſum toto me numine Apollo
Corripuit, raptumque jugis, longè aëra portans
Per liquidum, tandem ignota deponit in acta.
Non illic flores, aut gramina, qualia apud nos,
Vere novo campis fundit lætiſſima tellus,
Ulla virent: facies glebæ triſtiſſima ſolos
Emittit dumos, nebulaſque exhalat inertes.
Plurimaque infirmos ſuſpendit aranea caſſes
Per vepres latè, & ſpinis horrentia teſqua.
Tum mœſto ſtridore volant ſub luce maligna
Bubones: mihi pallentes tremor occupat artus.
Nam me verſari Scythiæ glacialis in oris
Sum ratus, horrenteſque plagas veniſſe, ubi regnat
Dira fames: aut obſcurum tellure ſub imâ
Per ſteriles Erebi campos regna invia vivis
Errare, infernique domos ſubiiſſe Tyranni.
Tum qui me has Deus in ſedes induxerat, eia,
Solve metus, ait, atque iſtam circumſpice molem.
Acceſſi & ſubter ſcopulum ſqualente barathro
Rupta mihi viſa eſt tellus; hinc impete magno,
Expirare leves quondam ceu fumus in auras
Cernitur, innumera in cœlum corpuſcula ferri,
Diverſis reſoluta modis, crebriſque rotari
Turbinibus: quædam haud certis volitare figuris,
Sed fortuita velut quaſſatæ fragmina molis.

Nonnullis ceu juſto æqualiter undique torno
Cæſa ſuperficies : tum alia & tenuiſſima raſa
In ſpeciem ſcobis , aut volitantis more farinæ.
His porrò cœlum , terræ globus , æquora ponti
Seminibus, tenueſque animæ , & cava nubila fingi
Viſa per obſcurum noctis : nam denſa jubar nox
Abſtulerat , niſi quod triſtes laxaverat umbras
Pauliſper dubio conſurgens lumine luna.
His aſtra è micis , atque ipſe è vortice Titan
Efferre os ſacrum & lumen diffundere viſus :
Hoc elementa ſatu atque animalia cuncta creari :
Hinc valles pingi , & juga ſumma vireſcere ſilvis.
Denique tam vaſto quicquid complectitur Orbis
Circuitu , his ex ſeminibus conflata tenorem
Accipere, hinc noſtros patefacta incurrere ſenſus.
Hîc primum inſolita perculſus imagine rerum
Obſtupui : miros tum deinde inſurgere motus
Lætitiæ , éque ſolo me tolli ad ſidera ſenſi.
Nam planè mihi Naturæ nudata parentis
Numina cenſebam , depulſas corde tenebras :
Immo ipſum Jovis in cerebrum , mentemque profundam
Irrepſiſſe , Deumque ſacris accumbere menſis.
Proinde & tam dextrum votis compellere Numen
Ingreſſus , tales mittebam pectore voces.
Quiſquis es , hæc nobis primus qui lumina tollis ;
Seu præſes geniuſque loci ; ſive auctor Apollo :
Seu tu, Terra parens , ſacro quæ prima vapore
Inclyta Apollineis tribuiſti oracula Delphis ,
Seu magis hæc mittis nobis inſomnia , Morpheu,
Quo ſatis ore, quibus verbis tua dicere poſſim
Munera ? tune mihi certis primordia rerum
Pandis imaginibus ? tu tantam accendere lucem
His tenebris potuiſti , & nudam oſtendere nobis

Naturam, fruſtra innumeris per mille labores
Quæſitam uſque ſophis? quam nec ſublime Thaletis
Ingenium, nec Anaxagoræ mens alta profundis
Excire è latebris potuit, nec amica Platoni
Conſultrix Dea, Cecropias quæ temperat arces.
Non ipſe ingenio qui omnes ſuperavit & arte,
Dius Ariſtoteles in lucem educere apertam.
At tu illam nobis, Divûm ſanctiſſime, totam
Nudaſti penitus; valeant obſcura priorum
Inventa, in vacuum errantis ludibria mentis.
Huc ades & propius tua ſacra oracula firmes.
Mox tibi delubra atque aras pia turba Sophorum
Conſtituent, Divis & te ſuper omnibus unum
Urgebunt votis, Sophiæque ad ſacra vocabunt.
Hæc memorans ſtabam obtutu defixus in uno.
Cum diſploſa ſonat quantum veſica, pepedit
Neſcio quis, magno quatiens latera ægra cachinno.
Quo crepitu concuſſæ omnes (mirabile dictu)
Diſſiliunt moles, corpuſcula, pondera, plagæ;
Et rapido celeres contorti vortice motus.
Ut quondam ſubita inſurgens vertigine typhon,
Fortuitum cinerem & plumas, pappoſque volantes
Excutit, & longè per inania nubila differt:
Diſruptique volant ſævis ludibria ventis,
Improba quos tignis intendit aranea caſſes.
Aut puerorum ætas ceu quondam improvida chartis
Ludens ædificat muros & texta domorum,
Et malè compactâ momento exurgere turres
Miratur, longè & cœlo faſtigia tolli;
Mox iidem evertunt, atque oris turbine diſſlant.
Fit ſonus, & tenui flatu convulſa repente
Miſcentur, ſubitamque trahunt tabulata ruinam.
Sic Carteſiacus momento evanuit Orbis.
Tum verò ipſe mihi tandem caligine pulſâ

Redditus, haud quicquam larvalis cernere pompæ
Amplius, aut teretes potui obſervare figuras.
Sic me Muſa potens, ſic me ſervavit Apollo.
Hæc mihi Thelebous quondam narrare ſolebat:
Seque ita munitum vacuas ne panderet aures.
Promiſſis Carteſiadæ; nam tempore ab illo
Preſſius ut cunctas illius volvere chartas
Cœpiſſet, ſi quid rectæ rationis ineſſet,
Nil præter vana indoctæ ludibria plebis,
Immanem faſtum, & nugas reperiſſe canoras.

AD VERITATEM.

QVO te profundo gurgite, VERITAS,
Quæram latentem, aut quæ juga montium
Lucos per ignotos vagantem,
Umbriferis retinent latebris?
Quæ ſors opacis invida, quis Deus,
Involvit umbris? dic age mentium
Suprema rectarum voluptas,
Dulce hominum ſuperumque nectar.
Te ſancta adorat Caſtalidum cohors;
Te vota poſcunt omnia; te preces;
Te jurgia, æternæque lites
Undique ſollicitant Sophorum.
At tu frementi ſurdior æquore
Ventis querelas votaque projicis.
Eheu! modo incertis hiantes
Ludibriis animos fatigas.
Qualis ſopora nocte jacentibus
Caliginoſas mittit imagines
Morpheus, & enormes ſepultis
Mille trahit dubius figuras.

Infuſa

Infuſa membris quid ratio juvat?
Lapſus quid alto ſpiritus? ardua
Quid cura virtutis? quid omnem
In ſtudiis poſuiſſe vitam?
Talem ſine ullo Siſyphon exitu
Moles fatigat: ſic homini Deus
Edixit iratus, labores
In vacuum tolerare tantos.
Mortalium ex quo primus ab optimo
Curſu recedens, in vetitum nefas
Prorupit, & mentem profundis
Materiæ involüit tenebris.
Hinc prima labes orta nepotibus:
Mox tetra ſeclum perdidit aureum
Victrix libido; lux receſſit,
Triſte jugum ſubiere gentes.
Donec citato mors veniens gradu,
Nobis caduci corporis invidos
Nexus reſolvat, liberoſque
Sedibus ætheriis reponat.

IN BLATTAM,

Inſecti genus, libris infeſtum.

INviſum Muſis pecus, audax beſtia, peſtis
Chartarum, immundo quam parit umbra ſitu;
Tu-ne ſacros audes corrumpere, Blatta, labores?
Divinæ egregias perdere mentis opes?
Quas non ira Jovis, non ulla abolere vetuſtas
Suſtinuit, ſævo, perfida, dente petis?
Atqui debebas ſolos non tangere libros,
Naſcendi ſpes eſt & genus unde tibi.

Te potius dites lanæ, te purpura paſcat,
Quodcumque & mulier Dardana pingit opus.
Te vaſtare favos divini Muſa Maronis
Admonuit docto carmine, parva querens:
At tu, proh facinus! longè meliora Deorum
Dona rapis; quanto hac fraude, ſceleſta magis!
Quid juvat in libris tantos poſuiſſe labores?
Si quos condidimus perdere blatta poteſt.
Quid loquor? aut quæ nunc mihi mentem inſania turbat?
In rapidos abeant improba dicta notos.
Non tu, Blatta, ſed eſt culpanda ignavia noſtra,
Tu licet ipſa noces; at prior illa nocet.
Nos reſides chartas tenebris damnamus opacis;
Tu malè compoſitas ſedula carpis opes.
O utinam infoſſos poſſes quoque rodere nummos,
Abdita quos parci ſtrangulat arca ſenis.
Quis damnet, quòd ſic ſpretas ulciſceris artes?
Muſarum impulſu forſitan ora moves.
Haud aliter vates faſtu irritata tyranni,
Dicitur Auſoniis fata dediſſe focis.
Si tamen in te aliqua eſt pietas, venerare priores
Curas, neu ſeclis ſcripta verenda pete.
Nugaces potius qui proſtant undique, libros
Contere, ſunt digni dente perire tuo.
Hæc etiam quæ luſi in te, mala carmina, fidens
Abſumas per me; ſunt tua namque; licet.

IN BIBLIOTHECAM
Viri ampliſſimi, & Senatoris integerrimi
BUCHETII BURNONVILLÆ,
TESTAMENTO EIVS PVBLICATAM
IN PARISIENSI S. VICTOR. COENOBIO.

ILLE pius Themidis ſuprema in ſede Sacerdos,
BVCHETIVS, *gentis flos ille, decuſque togatæ,*
Quo melior quiſquam legum diſſolvere nodos
Non fuit, aut æquas Divæ ſuſpendere lances.
Cùm jam cæleſtes eſſet rediturus ad oras;
Jam fata inſtarent, ſupremaque fila jacenti
Immites legerent conſumpto vellere Parcæ;
Et Themis egregio doluit caritura miniſtro,
Doctorumque omnis gemuit chorus; ardua flerunt
Culmina Parnaſſi, flerunt Heliconia arces.
Quin etiam attonitæ caſu præſtantis alumni,
Dulcia linquentes ſilvarum habitacula Muſæ,
Fatalem cinxere torum; dolor omnibus idem,
Et pariter multo laxarunt pectora fletu.
Quas inter mœſta frontem redimita cupreſſo,
Jam furit in luctus, atraſque Elegeia veſtes
Rumpit, & infeſto tundit præcordia planctu.
Tum quorum ille domi veterum monumenta virorum,
Arcana pridem cedro complexus habebat,
Ingens Elyſiis ſcriptorum è vallibus agmen
Emergens ægrum circumſtetit. Ilicet omnes
Flere videbantur, triſteſque emittere queſtus,
In magno tanquam rurſus morerentur amico.

Ille ad tam caros attollens lumina cœtus
Agnoſcit, placidoque has mittit pectore voces:
Muſa, noſter amor, dum fata, Deuſque ſinebant;
Voſque, ait, egregii manes, qui lumine dignas
Luſtratis mentes, & adhuc volitantia mundo
Nubila diſcutitis, pulchraſque educitis artes;
Vos ego dum potui tectis & pectore fovi:
Vos mihi deliciæ, vos intima cura fuiſtis;
Vos mihi dulce decus: neque enim (præſentia teſtor,
Numina) me tantum ille locus, cœtuſque togati
Juvit apex, latique ſuperba inſignia clavi.
Nunc mihi labentes produci longius annos,
Non pater ille ſinit ſuperi regnator Olympi.
At priùs excedo, noſtra ſolatia mortis
Accipite hæc: Altis non longè à mœnibus urbis
Pinguia ſequanicis pulſantur prædia lymphis;
Illic antiqua VICTOR *generoſus in æde*
Divina meritos recipit virtutis honores.
Cui nemoroſa domus clauſtris regalibus hærens
Humanos refugit ſtrepitus; moderamina vitæ
Ponit, & egregios regit Auguſtinus alumnos.
Intus opaca quies, & amica ſilentia regnant:
Arrident variis halantes floribus horti,
Prataque, & irriguis ſurgentia gramina ripis;
Et glaucæ ſalices, curvi quas Caſtoris unda
Educat, incertos Mæandri imitata liquores.
His ego vos latis ſtatui tranſcribere regnis;
Illic vos æterna manet domus. I pede fauſto
Docta cohors, Geniumque novis penetralibus infer.
Non illic Helicon vobis, non Caſtalis unda
Deerit, & arcanis optata ſilentia curis.
Unum oro, qualis Parnaſſi in vallibus, ad vos
Liber ſit cunctis aditus, nullique negetur
Fontibus è veſtris manantes undique rivos.

Haurire, & largos animis infundere rores.
Hæc fatus, dudum vicina in morte natantes,
Incluſit tenebris oculos, lumenque reliquit.
Macte iſta pietate ſenex, qui munera nobis
Magnificaſque relinquis opes; oblivia leti
Nulla time: ſemper mundo tua fama manebit,
Ingenii dum cultus, & hæc monumenta manebunt;
Victoriſque domus magni. Si dulce ſepultis
Dicier, adque ipſos penetrant encomia manes,
Hæc tibi erunt, docto ſemper celebrabere cœtu.
Sic tua perpetuum meliùs benefacta per ævum
Tradentur populis, quàm ſi intra nubila moles
Stent tibi Pyramidum, priſcorum immania regum
Portenta, aut magico reſonet tibi murmure Memnon
Dimidius, cinereſque tuos obeliſcus obumbret;
Quàm ſi paſta tuum funus, tenueſque favillas,
Barbarico conjux tollat miracula faſtu,
Et caligantes circum tua marmora lucos.
Nec verò magis ampla ſui Muſea tyranni
Nilus, & Attalidûm celebraverit inclyta curas
Pergamus, immenſoque aggeſta volumina ſumptu.
Te quoque in hos titulos Heliconis gratia noſtri
Aſſeret, & meriti ſemper referentur honores.

IN BIBLIOTAPHUM.

QUID tibi vis triplici innumeros qui clave coerces,
Quos nunquam evolvis libros? Qui carcere cæco
Sacras abdis opes: cujuſque oppreſſa veterno
Tot pretioſa latent veterum monumenta Sophorum.
Cur lucem abſcondis, diffundi in pectora latè
Quam decuit? Quid dulce jubar docto eripis Orbi?
Muſarumque jugis alios, & fontibus arces,

Atque haurire vetas, quos non potes ipſe liquores.
Nam neque doctorum profit tibi volvere chartas.
Te juvat in nidis poſitos longo ordine libros
Perluſtrare oculis; te cedro & pumice culta
Membrana, titulique tenent, te nomina ducta
Frontibus, æternos numquam tacitura labores.
Tunc multum tibi, inepte, places; quod nomina noſti
Scriptorum, ridetque oculis opulenta ſupellex.
Atqui animum quavis libros vendente tabernâ
Paſcere ſic poteras: quis te malus impulit error,
Ut pretio immani nil profectura parare
Dona tibi velles, & tantos perdere ſumptus?
Quid ſi veſano pictura incenſus amore,
Cæcus Apelleaſque manus, doctique Myronis
Comparet? aut aliquis ſurdæ ſibi conſcius auris,
Undique plectra petat, cœtuſque in tecta canoros
Advocet, & pulſis captet modulamina chordis?
Quid cæcum pictura juvet, quid muſica ſurdum?
Te quoque nil Sophiæ in tabulis, opibuſque parandis
Juverit iſte labor, cui nunquam Phœbus amico
Lumine, Pieriæ nunquam arriſere Sorores.
Atque ideo triſtique ſera, & compagibus arctis
Barbarus abſcondis, quas non intelligis artes.
Impius haud aliter furiata mente Pyreneus,
Invitas tecto aggreſſus retinere Camœnas;
Parietibus ſepſit validis, robuſtaque clauſtra
Objecit, fultoſque emuniit obice poſtes.
Sic poma Heſperidum vigili ſervata dracone
Accipimus: ſic invidia Junonis iniquæ
Mandata Inachidos cuſtodia virginis Argo.
Nec ſecus intactæ limen Spado Dindymus Æglès
Obſidet, & cupidos foribus procul arcet amantes.
En quo magnorum in ſtudiis generoſa virorum
Ambitio & felix rediit labor, ardua virtus:

Huc recidit. Meruere diem; tu carcere damnas
Inviſo, tenebriſque & cæca nocte recondis.
Quid famam meruiſſe juvat? quid ſecula famâ
Viciſſe, & longum ingenio ſupereſſe per ævum?
Si lucem rapis, & fatis parcentibus, ipſo
Sævior heu! Dite, attonitos, veniamque petentes,
Ipſe tua mergis lethe, condiſque ſepulchro.
Atqui occide priùs & ſi potes eripe vitam.
Cur ſepelis vivos? vivit nam docta caterva
Scriptorum, ſoliſque datum eſt extendere vitam,
Et clarum ſine fine decus, quos Muſa recepit.
Sed quando immunes leti, nec tale merentes
Supplicium, ſepelire placet; jam parce ſepultis:
Neu malè compoſitos conſumi immobilis otî
Deformi patiare ſitu: ſaltem excute pulverem
Immundum; diras chartarum interfice peſtes,
Mureſque, Blattaſque, & quos net aranea caſſes,
Disjice: cum doctis habeas commercia libris
Qua licet. At fido ſi quid mihi credis amico,
Vende omnes, melius nummi condentur in arca.

DE PRÆMATURO PETRI-FRANCISCI PETITI OBITU,

LAMENTATIO.

Casibus oppreſſos duris ſi munera, Muſæ,
Veſtra levare queunt, triſteſque avertere cur[a]s;
Nunc mihi adeſte, Deæ, plangenti funus acerbum
Filioli; diæ quem lucis limine in ipſo
Avulſum caro gremio fata impia matris

Demiſere neci. Quem nunc hominumve, Deûmve
Incuſem? Tales merui quo crimine pœnas?
Me pater ut Superûm, procul ambitione, doloque
Ducentem inſontes ſtudiis melioribus annos,
Fulmine percuteret ſubito, hac & parte feriret,
Quâ magis obruere, & totum me perdere poſſet.
Heu! quæcumque habui, infando ſunt omnia caſu
Perdita, nec quicquam in vita mihi denique reſtat
Quod curem. Mors, Petre, tuo abdidit una ſepulchro
Quicquid dulce fuit. Te propter cernere lumen,
Mordaces inter curas & mille labores
Non erat ingratum, & triſtem producere vitam:
Ut tibi præſtarem, gnato quæcumque paternus
Debet amor, mollique ſinu, ipſa animaque foverem
Spem tantam, quæ ſe haud dubiis lætiſſima ſignis
Heu nimium dabat, atque ipſo efflorebat in ortu.
Te propter Muſis nova fundere vota juvabat;
Ut tibi Pierio primos è gurgite rores
Offerrem, teneris immulgens ubera labris.
Jamque adeo fati ignarus, ſortiſque malignæ,
Te quibus imbuerem, diſcendi elementa parabam:
Tum quæ verſares olim maturior ævi,
Gaudebam tibi parta meo monumenta labore,
Quæ poſſent prodeſſe eadem veſtigia laudis
Sectanti: ſic me ludebat amabilis error:
Sic quæ fallere amat cupidas ſpes credula mentes
Suſpenſum miſeri patris lactabat amorem.
Quid facerem? Si me ipſa parens Natura, parentem
De tali puero nil non ſperare jubebat:
Cui Venus ipſa manu formoſos finxerat artus,
Omnigenos largè addiderat, ſua dona, lepores?
Talis eras oculis, vultuque, & corpore toto,
Quales in tabulis nudi pinguntur Amores.
Quid memorem ingenii præſagia certa futuri?

Quid mille illecebras? quid blæſa murmura linguæ?
Quid nutus? quid blanditias, dulceſque cachinnos?
Nondum erat os fandi validum, diſtinctaque verba;
At quàm multa tamen ſenſu dignoſcere acuto
Jam poteras? quæ ſigna dare, & quas mittere voces?
Quàm promptus viſos noſſe & retinere parentes?
Quàm docilis varios alternis ludere luſus?
Sed quid ego hæc memori nequicquam mente retracto,
Quæ lacerant animum ſævi monumenta doloris?
Quis mihi det cari nunquam meminiſſe puelli?
Votum in patre novum. Poſſem compeſcere luctus
Infandos, aliquàm & curis ſperare quietem?
Nunc mihi quæ renovent vulnus, ſimulacra recurſant
Ante oculos, ſeu lux oritur, ſeu feſſa recedit,
Nec me vel media tranquillum in nocte relinquunt.
Aut totum, ſi qua erat pietas, mihi numina natum
Servarent, aut ſi decrerant tollere, totum
Eriperent, ne qua orbato poſt fata parenti
Pignoris ablati veſtigia dira manerent.
Sed quid vana queror, Superi ceu talia curent?
Quin etiam gnati coram me cernere lethum
Fecerunt, tantumque nefas patria ora tulere.
Te-ne ego, care puer, triſti langueſcere morbo,
Te-ne ego conſumptò ſuccumbere corpore vidi
His oculis? gemitus moribundi his auribus hauſi,
Supremos & ſingultus animam exhalantis;
Nec me talia ſpectantem dolor egit in undas
Præcipitem, aut celſæ dejecit vertice rupis?
Nam mihi præſtaret crudelem abrumpere vitam,
Quàm tantos agitare alto ſub pectore luctus;
Quàm loca cuncta meis nequicquam implere querelis;
Quales ſecretis nemorum philomela ſub umbris,
Fœtibus amiſſis mœſto dat gutture queſtus.
Sic mihi nil prodeſt tot pervolviſſe Sophorum

Scripta, & diverſas animum excoluiſſe per artes:
Aut antiqua meos potis eſt lenire dolores
Porticus, & quicquid mandavit Gracia chartis.
Non ipſæ modulis ſolatia ferre Camanæ
Ulla queunt, non ægrum animum mulcere vireta
Florentis Parnaſſi & dulce ſonans Aganippe.
Omnia tentavi fruſtra, immedicabile vulnus
Accepi: dulces rurſum concedite Muſæ;
Voſque adeo Muſis loca ſacra amneſque valete:
Nulla malis tantis ſolatia ferre poteſtis.
Non ſi ipſe huc gnatumque & odoriferam Panaceam
Cynthius adducens, omnes mihi proferat herbas,
Omnia quæ in morbos reperit fomenta miniſtret,
Carminaque adjungat triſtes mulcentia curas,
Hanc mihi triſtitiam poſſit depellere cunctis
Artibus, aut rabidos animi placare furores.
Ire juvat, quo me impellit veſania luctus,
Ignotiſque errare jugis; loca mœſta requiro:
Viſam præruptos immani vertice montes;
Viſam amnes Scythicos, & inhoſpita litora Ponti:
Augeat ut noſtros regio immanſueta labores.
Quandoquidem fata erepto ſæviſſima nato,
Fas præter Naturæ, everſoque ordine rerum,
Me ſupereſſe volunt; ſtat dura per omnia vitam
Exigere, & reliquum conſumere luctibus ævum.

DE FRAGILI HOMINIS CONDITIONE, ET MORTIS METU. AD PLANCUM.

Conflictata diu generis primordia noſtri
Ad cœtus remeare ſuos, fluxamque reſolvi
Compagem, & magnæ reddi ſua pignora matri,
Non equidem, Plance, admiror: lex dicta caducis
Omnibus, & ſtabiles ſanxerunt fœdera Parcæ.
At cur venturi malè firma in corpora leti
Additus ille timor? cur nulli obnoxia fato

Mens pavet interitus & euntes computat annos?
Felices vitam pecudes, pictaque volucres
Ducitis, ignoti non vos pavor irritus Orci
Offendit, pulchra aut lucis data gaudia turbat.
Quin etiam extremum vitæ ſub tempus, olores,
(Sic referunt) dulces placido dant gutture cantus:
Uſque adeo mortem haud trepidant, nulloque dolore,
Ultima mœrenti reddunt modulamina Phœbo,
Molles Eridani ad ripas; ubi divite fletu,
Pinguia mutatæ ſudant electra ſorores.
Nos variæ ancipiti turbant ſub pectore curæ.
Nec juvat irati vitaſſe pericula ponti,
Bellorumque vices, peſtemque, & dira novercæ
Pocula, quoſque ardens accendit Sirius ignes.
Ipſa ſibi juſtos infert natura timores:
Dumque fluit ſemper, dum ſe perimitque, fovetque;
Non ſinit humanas unquam requieſcere mentes.
Vix nati, marcent homines, titubantque caduntque,
Frondibus arboreis ſimiles, quæ vere tepenti
Excluſæ, non tardè oculis ſpectacula læta,
Tegminaque & dulces præbent paſtoribus umbras:
Mox nimbis victa, & tabentes frigore primo,
Palleſcunt, rapidiſque volant ludibria ventis.
Protinus ut primos humana ætatula flores
Emiſit, blandos animis Venus attulit ignes;
Ecce ſupercilium criſpans ſub fronte ſevera,
Vir ſubit & luſus puerorum calcat inanes.
Accedunt variis agitata negotia curis;
Mutanturque animi mores; jam corde tepeſcit
Sanguis, & arcanum ſuccedit frigus in artus;
Jam frontem rugis arat importuna ſenectus,
Et dubio triſtes inſpergit vertice canos.
Quam procul ut viridi ſapiens proſpectat ab ævo,
Ipſe ſuam reputat ſortem, ſe mole caduca

Compoſitum, ſe bullam, & inanem intelligit umbram.
Tunc duros vitæ tædet perferre labores;
Tot curas verſare animo pro rebus ineptis;
Nec poſſe interea fatorum avertere leges.
Heu duræ leges, & inexorabile fatum!
Sidera quæ nullo volvuntur prædita ſenſu
Incorrupta manent, amnes labuntur in ævum;
Caucaſeis nec ſaxa in montibus abſumuntur.
Saxa manent, pereunt homines, monumenta ſuperſunt
Urbibus & raptas plangunt ſua marmora gentes.
Cur intra paucos melior conſumitur annos,
Naturæ ſoboles? gentem quæ ducit Olympo,
Cur tam præcipiti vitæ data tempora curſu
Corripit, & longum cornicibus invidet ævum?
Debuit huic ſumi cognatis corpus ab aſtris,
Corporis atque animæ melius patria una fuiſſet.
Non ſe luctifico quereretur carcere clauſam;
Non morbis oppreſſa foret, non ſæva doloris
Spicula ſentiret, morti non quidquid amaræ
Pandit iter, maneſque animam deducit ad imos.
Invidiſſe Deos nobis, ut ſoſpite vita,
Spiritus Ætherias victor remearet ad arces?
An potius patrum luimus delicta nepotes?
Et veteris ſequitur Nemeſis comtagia culpæ?
Quicquid id eſt; Divum fatis parere neceſſe eſt.
Cedamus: tantum ne maximus ille timorum
Diſcruciet miſeros leti metus: omnia tetris
Offundens tenebris vitæ qui gaudia turbat.
Has autem curas & opacæ nubila mentis,
Sola poteſt ratio & recti ſibi conſcia virtus
Diſcutere, & tantos animi placare tumultus;
Hæc miſcere Deis hominem atque attollere cœlo.
Nam legem interitus qui non timet, is mihi Divos,
Dum ſuperat, mentis tranquillo æquare videtur,
Cæleſtumque inſtar ſecurus tranſigit ævum.

HENRICO CITADINO SUO

P. PETITUS.

CERTUS amoris in me tui, ac pro veteri conſuetudine noſtra, novum hunc tibi, ſuaviſſime CITADINE, Muſarum mearum fœtum mitto, quem ut plenius cognoſcas, pauca te initio admonitum velim. In agro Pariſiaco ad octavum circiter ab urbe lapidem, ſuburbanum eſt amplum, nobile, opulentum, nec minùs amœnum, nomine GOSSINVILLA. Pagus ejuſdem nominis adjacet, incolis frequens, Domino inclytus, de quo, ut de Carthagine Salluſtius, tacere ſatius puto, quàm parum dicere. In eo ſuburbano fons oritur, non fertilitate modò quam præſtat regioni, ſed etiam uſu præcipuo memorandus: Si verum eſt non poſſe aliis aquis laudatiſſimum illum panem confici, quem ab oppido Goneſſæ, Goneſſiacum vulgo nuncupamus. Eam nunc proprietatem verſibus celebrare viſum eſt. Nec metuo ut quiſquam mihi vitio vertat, quod de re nondum ſatis fortaſſe comperta tot verſus effuderim. Niſi aliquis eſſet tam imperitus, ut ignoraret jura Poëtarum, quibus jubentur credita & veriſimilia pro veris amplecti; ne dum opinionum pericula formident. Quamquam vix fieri poſſe putem, ut ea perſuaſio vana ſit, quæ doctorum hominum teſtimonio, immo ipſorum uſu atque experientia opificum quotidiana nitatur. Quippe Olivarius Serræus in ſuo Agriculturæ Theatro auctor eſt, Piſtores Goneſſæ, ſuper commendata panis illius bonitate publicè aliquando interrogatos communi ſuffragio reſpondiſſe, ejus bonitatis cauſam, aquarum quibus uterentur, ingenio eſſe adſcribendam. Non mihi porro veriſimile ſit, eos homines aut de re tam ad manum, immo in manibus ſita falli potuiſſe, aut tam præpoſtera fuiſſe ambitione, ut laudem ſolo & frugibus debitam, aquis tranſcribere mallent, niſi hunc aquæ eſſe principatum certis documentis perſpexiſſent. Sed miſſa hac diſputatione, quæ non magnopere ut videtur, ad rem pertinet, quæ me potiſſimum occaſio impulerit, ut eas aquas celebrarem, eloquar. Superiori æſtate, cùm in convivio apud ampliſſimum, nobiliſſimumque virum, cujus eſt illud ſuburbanum à me initio nominatum, quædam Lyrica non ignobilis hujus ætatis Poëtæ legerentur, in quibus & POLYCRENE aliquot Odariis celebratur (nomen id fontis in Bavillæ territorio, vel certè confinio manantis, quem magni illius Senatus principis deliciæ nobilem fecerunt) cunctis valde, ut par erat, ea carmina probantibus, ac de fontium proprietatibus

menrione injecta, memorarus vir ampliſſimus ad me converſus: ſint (inquit) ii fontes ita, ut prædicantur, variis dotibus inſignes; ſic tamen exiſtimo, ejus famæ qua eorum nonnulli florent, magnam partem ſibi eorum qui illos laudarunt, ingenia vindicare. Nam ſi res ipſæ ſufficerent claritati, fons qui in agro meo eſt, cujus aquæ (ut de quibuſdam Italiæ aquis, quæ ortum oppidis dederunt, Plinius dicit) ſine dubio Goneſſam condiderunt, cùm iſtorum nulli dignitate cedat, neque gloria ullo eſſet inferior: nunc ignotus eſt, quia nondum vatem invenit. Vix ſermonem abſolverat, cùm ego ſatis temere quidem, ut inter pocula, promiſi me operam daturum, ne fons ille diutius de Poëtarum ſilentio quereretur. Quod mihi verbum ut excidit, tametſi joco dixeram, omnes illico ſibi rem factam putarunt, & non ſobria verba exemplo nimium periculoſo ſubnotarunt. Cumque his poſtea illud proverbio uſurpatum occinerem, μισῶ μνήμονα συμπότην, quo ſignificabant veteres eorum, quæ in triclinio dicerentur, memoriam non eſſe conſervandam, nunquam tamen ab iis temerarii promiſſi veniam impetrare potui. Ne longum faciam, cum mihi ut creditores inſtarent, deliberare tandem cœpi, quemadmodum iis ſatisfacerem, viſumque eſt ad eum ipſum me conferre locum, unde fons ille ſcaturit, non ſolum, ut rem de qua eſſet agendum, magis perſpectam atque exploratam haberem, ſed etiam ingenii mei cauſa, ſi pote, ut Heſiodus, cùm in agro eſſet, Muſarum ipſi apparentium alloquio è rupicone indocto elatus poëta evaſiſſet; & Socrates apud Platonem, cùm extra urbem una cum Phędro adoleſcente ambulans, ad Iliſſi amnis ripam ſub famoſa illa Platano conſediſſet, Nympharum loci præſidum inſtinctu ita commovetur, ut νυμφόληπτος planè redditus, quemadmodum ipſe teſtatur, ſæpius poëticè quàm humanè loquatur; ſic ego aliquem è loci conſpectu ad ſcribendum impetum conciperem. Vbi acceſſi, ſeceſſum vidi longè amœniſſimum, & qualem poëtæ amant. An autem ibi prout ſperaveram, aut Muſis, aut Nymphis afflatus fuerim, tute melius, amice, ex ipſo poëmate judicabis. Neque enim tantum mihi auſim arrogare: Id mihi ſufficiat, me ibi inveniſſe, unde datam Amicis fidem, quoquo modo exolverem.

FONS GOSSINVILLÆ.

Bella tubæque procul, procul hinc abſiſtite turmæ
Victrices; tuque, ô nemoris regina ſonori,
Calliope, reges, memorandaque prælia differ;
Ac mecum arborea paulum requieſce ſub umbrâ.
Nunc alius me ducit amor: juvat urbe relicta
Per lucos, per ſilvicolis habitata Napæis
Antra, indepreníos ad laudem quærere calles.
Audio? An attonitos ludunt inſomnia vates?

Jam mihi per campos latè, & nemoroſa vaganti
Avia, Goſſinvillæ arces, & prædia lata,
Dant ſignum, curvis applaudunt undique ab antris;
Indigenæ Dryades, ſummaque Heliconis ab arce
In mea Pieriæ deſcendunt vota ſorores.
Frugiferæ donum divæ, ſacraſque beati
Fontis opes, grataſque canam piſtoribus undas.
Nam memini cum me eductum generoſus ab urbe;
LAODAMAS, *gentis decus immortale togatæ,*
In latas traheret valles, prope nota Goneſſæ
Caſtella, & tanto gaudentes præſide ſilvas,
Formoſum ſtudio magno me quærere fontem,
Et caput, unde ruunt opera ad piſtoria lymphæ
Felices. Quippe audieram, tam pulchra per orbem,
Nuſquam alio poſſe, alma Ceres, tua liba liquore
Componi, hancque undis propriam omnes credere laudem.
Hujus inauditos deducere fontis honores,
Fert animus; juvat oblatam ſub imagine ſomni
Formoſæ ſpeciem Nymphæ, & quas mittere voces,
Eſt dignata mihi, totum proferre per orbem.
Nec verò incaſſum traxit me fama per agros,
Tandem etenim feſſus pulchræ regna humida Divæ
Acceſſi. Ripam frutices & amœna ſalicta,
Hinc atque hinc miſtis prætexunt deſuper umbris.
Et nimios rapidi excludunt Hyperionis ictus.
Infra autem qua ſtringit aquas nativa crepido
Immenſum gramen viret, ingenuique tapetes,
Floribus innumeris picti: nam roſcida totos
Pandit terra ſinus, & pabula ſufficit humor.
Hic junci teretes, hic concava ſurgit arundo,
Dulce tibi, Tegeæe, nemus; hîc uda chamædrys,
Buphthalmoſque, apiumque, & amica Siſymbria rivis.
Hîc Nymphæa potens Paphiæ reſtinguere flammas,
Luteolos aperit calyces; hîc improba morſu

Eruca antiquos ſpondet revocare calores.
Hîc ego numen aquæ, & Nymphas veneratus agre-
ſtes,
Procubui & viridi demiſi corpus in herba
Admirans placidæ taciturna ſilentia ripæ.
Tantùm invitantes ſomnum dabat unda ſuſurros.
Senſi equidem, mox & ſtrepitu reſolutus aquarum;
Sum viſus ſpectare Deam, de gurgite flavo
Tollentem vultus, tales emittere voces.
Quiſquis es, huc noſtras Dis non inviſus ad oras
Acceſti; vanos animis depelle timores,
Ac propius conſiſte; ego ſum quæ gurgite ab iſto,
Frugibus optatas facilis deducere lymphas,
Hæc loca grata colo. Nunc quando arcana mearum
Noſſe cupis rerum, quæ dos conceſſa profundo;
Expediam dictis, atque ordine ſingula pandam.
Non incerta loquar: verum immemorabilis ævi
Victa ſitu, famamque ipſam premit alta vetuſtas.
Alma Ceres quantos imo ſub corde dolores,
Ceperit ex gnatæ raptu, non Medus Orontes,
Non Tagus ignorat regnis infuſus Iberis;
Non ſeptem ſubjecta trionibus ultima Thule;
Non ſi qua oppoſito naſcentem cardine Nilum
Gens videt obſcuris flumen laxare cavernis.
Nam cum purpureos legeret Proſerpina flores
Trinacriæ in campis, ſtygii regnator Averni,
Ut vidit, toto concepit pectore flammas,
Correptamque nigro rapuit ſub tartara curru.
Infelix mater, tam diræ neſcia fraudis,
Bacchatur luctu. Quæ poſtquam cuncta per omnem
Oppida Sicaniam, montes, lucoſque ſilentes,
Antraque luſtravit ſaxis ſuſpenſa vetuſtis
Incaſſum: ſtatuit nunquam finire labores,
Donec veſtigans totum confecerit orbem.

Quas non illa plagas, quæ non loca circuit orbis?
Mœſtis vocibus & lacrymis, hominesque, Deosque
Obteſtans: ſed & has curſum convertit ad oras.
Non illam aëriæ ſcopulis pendentibus Alpes
Tardare, aut longos potuere abrumpere curſus
Flumina, plangentes fremitu pulſantia ripas.
Nondum tot cives gremio complexa tenebat
Lutecia, ingentes nec tanto vertice faſtus
Extulerat cœlo; nondum Luparæ ampla patebant
Atria, majori quæ nunc reparata labore
Regis magnanimi, totum ad ſpectacula mundum
Alliciunt: poſtquam LUDOVIX *incœpta priorum*
Abſolvit, juſſitque novas accedere moles.
Tunc ego volvebam tenues ſine nomine lymphas;
Obſcuro lapſu ſegnes effuſa per agros:
Hac ſolum utilitate placens, & cognita terris,
Quod poſſem relevare graves ſitientibus æſtus:
Si quis fortè meas languenti cum grege ripas
Tenderet Upilio, feſſusve labore viator:
Omnia erant inculta, & ſolis nota Napæis,
Donec magna Ceres noſtrum contingeret amnem.
Quæ poſtquam aſpexit valles, arbuſtaque læta,
Et lucos, & prata vagis humentia rivis;
Ingenio gaviſa loci: ô pulcherrima, dixit,
Terrarum: neque enim certent tibi frigida Tempe;
Excipe prima ſolo Cereris veſtigia magnæ.
Sic ait, & viridi corpus demiſit in herba.
Hanc ego, quod poteram, gaza ſolabar agreſti:
Atque in textilibus redolentia mala caniſtris
Appoſui, variaſque nuces, lactiſque coacti
Munera, quæque alia agricolis fert gaudia tellus.
Talibus illa autem officiis lætata, potentem
Impreſſit virtutem undis (mirabile dictu)
Qualem dehinc manibus ſubigentes farra coloni,

Experti, eventu haud dubio: ſed & addita frugum
Nobilitas; nullo ut tantum ſe maxima tractu
Tollat, & eximias miretur Gallia meſſes.
Nam cùm viminea paulùm requieſcet in umbra,
Pellucentis aquæ puro Dea capta nitore,
Ingreſſa eſt placidas nudato corpore lymphas;
Demeret ut membris ſqualorem, æſtumque levaret.
At cutis ambroſiæ attactu riſere fluenta,
Et penitus venis mirum traxere vigorem.
Me quoque pinſendis optatas frugibus artes
Edocuit; piſtrini orbes, gyroſque rotarum,
Quo pacto aſſiduis moderentur curſibus amnes;
Aut quibus apta modis alas imitata volucrum
Grandia pulſantes convertant carbaſa venti,
Et placidi certos præſtent molitoribus uſus.
Hæc eadem cribra è ſetis contexere equinis
Edocuit, quam mox monſtratu Gallia Divæ
Prima tulit laudem, & terras tranſmiſit in omnes:
Cribra, quibus puræ ſtrictim tranſmiſſa farinæ
Excutitur nubes, multoque foramine ningit.
His & fermentum adjunxit quæ cura parandi;
Optatum in primis, formandiſque utile cruſtis
Munus; quando aliter nequeunt primordia maſſæ
Diffundi, atque habilem latè concreſcere in orbem;
Sed gravitate nocent, ſtomachumque oneroſa fatigant.
Hæc tum me frugum inventrix antiqua docebat;
Pòſt autem veteres ex me didicere coloni,
Scilicet, & tales vitam excoluere per artes.
Ex illo aëriæ cœperunt tempore turres
Fundari in tumulis, eductaque tecta ſub auras;
Quadrifido incertos captarunt robore ventos.
Hinc tibi piſtorum duri ſub nocte labores.
Ipſaque cœpit humo his ſtudiis ſe efferre Goneſſa
Vicinos inter pagos, atque oppida, quæ nunc

Majores æquat meritis ingentibus urbes.
Quippe ibi manſuram ſedem, certoſque penates
Conſtituit veneranda Ceres, arcanaque ſacra.
Hanc & Triptolemi in ſedem, curruſque, draconeſque,
Et Celei varia arma, & notas tranſtulit artes.
Omnia quæ quondam retinens florebat Eleuſis,
Et celſo ætherium tangebat vertice olympum.
Hanc etiam totum fama celebrata per orbem
Lutecia, inter opes varias, portuſque beatos,
Miratur non immerito, & ſtridentia plauſtris
Dona laborata Cereris, frugumque medullas,
Quæ candore nives ſuperant. Si munere terræ
Fas eſſet turbam veſci ſupera alta tenentem;
Non alia Idæis oneraret liba caniſtris
Phryx puer, aut menſis mallet poſuiſſe Deorum.
Tantum effata, & ſe proprio Dea condidit amne.
Me quoque diſcuſſa dimiſit imagine ſomnus.

Hanc ipſam fabulam de fontis Goſſinvillæ proprietate, Illuſtris hujus ætatis Scriptor, Græcè ex ſuperiori Poëmate, eleganter expreſſit hoc diſticho.

εἰς κρήνην, τὴν Γοσσινβιλλαίην.

Ἐνθάδε Δημήτηρ ποτὲ λούσατο. δῶκε δὲ μισθὸν,
Ἄρτους τοῖσδε ποιεῖν νάμασι τοὺς ἀγαθούς.

IN FONTEM POLYCRENEN.

TU quoque perſpicuos inter celebrabere fontes,
Ruris honos POLYCRENE, *ô quæ pulcherrima ſaltus*
Per Sancaronios jucundo murmure ſerpis.
Nunc adeo, poſtquam ille ſui lux maxima ſecli,
Sæpe tuas LAMONIADES *inviſere lymphas*
Dignatur; tumidis rerum cum feſſus ab undis,
Evolat in campos, & tædia diſcutit urbis;

Inſanumque forum, & populi tabularia vitat.
Illum picta ſinus quamquam redolentibus hortis,
Et Flora, & ramos curvans Pomona feraces,
Ipſa vocant arbuſta; tuis procumbere ripis
Uſque tamen, doctos gaudet tibi credere ſenſus;
Quos illi Pimplæa comes per teſqua vaganti
Subjicit; Ætnæa referens modo dicta cicuta
Carmina, Paſtorumque Deos; modo Tityron umbrâ
Gaudentem, Latiiſque auditam Amaryllida ſilvis.
Tu requies curarum illi, tu meta laborum.
At tu inviſentem ripas, & opaca per æſtus
Frigora captantem, geniali numinis aurâ,
Et leni ſtrepitu mulce; tunc rauca ſonantes
Uberiùs toto ſaliant tibi pumice lymphæ.
Tu quoque purpureos illi (quamquam aſpera votis
Obſtat humus) flores, & gramina læta miniſtra.
Jam LAMONIADE *pro magno, aſperrima cultu*
Diſcet humus blandos educere ceſpite flores.
Hic Nymphæ implebunt calathos; hic læta pharetram
Deponet, choreaſque dabit Britomartis ovantes.
Forſitan & puro perfundet membra liquore,
Nec metuet caſto Themidis patuiſſe miniſtro.
Muſarum in primis ad te formoſa caterva
Conveniet; nec bacchatam ſacris Aganippen
Vatibus, ancipitemque magis celebrabit Iliſſum.
Forſitan & ludens Phœbus (mutare figuras
Dulce Deis) iterum poſita teſtudine & arcu,
Ad tua ſtagna greges, armentaque bucera paſcet.
Salve perſpicuis fons intemerate fluentis,
Deliciæ Dryadum, Lamoniadumque voluptas,
Limpide fons: tibi perpetuum manſura per ævum
Fama venit: non priſca ſuos plus Græcia fontes
Extulerit, neque divinos plus jactet honores
Sicelis aut Arethuſa, aut quem Venuſina ſacravit

Barbitos, aut Cyane Lilybæi conſcia raptus.
Tu quoque carminibus noſtris, clarum, Polycrene;
Nomen eris, totumque ibit tua fama per Orbem.

DE HUMANI ORTUS PRIMORDIIS. ex Plinio,

IDYLLIUM.

QUalis bulla tumens motum ſupereminet amnem:
Diſcolor aut lætis ſe floſculus exerit arvis
Vere novo, & calycis fulgore illuminat hortos:
Qualibus & formis animantum Ægyptia tellus,
Flumine læta ſuo ludit, cùm Nilus ab æſtu
Se recipit ſolito, & prægnantes deſerit agros;
Talis ſe proles humana attollit ad auras,
Materna poſtquam primùm concrevit in alvo;
Fœcundam nacta illuviem. Tamen immemor ortus
Alta ſapit, nulloſque animis non ambit honores.
Nuper Apollineo meditans cùm ſolus in antro,
Naturam inſpicerem, puduit me abjecta videntem
Semina noſtri ortus, mentiſque elementa ſuperbæ.
Eloquar, an ſileam? cruor inſincerus ab imis
Erumpens venis, placido quem Cynthia ducit
Lumine, & impulſum tacitis moderatur habenis,
Materia eſt hominis: varios hinc procreat artus,
Vis opifex, hinc cuncta animæ inſtrumenta figurat.
Ecquid enim magis hoc infandum gurgite, ſi quid
Credimus antiquis, nec priſca volumina fallunt?
Jam primùm necat ille udis pubentia campis
Gramina, contactu florentes inficit hortos:
Quoſcumque infelix diffunditur aura per agros,
Afflata paſſim ſegetes moriuntur in herba.

Nec ſolum vaſtat ſata læta, boumque labores,
Tota etiam penora inceſtat: nec denſa Lyæum
Amphora defendit, cellis infoſſa profundis.
Nigreſcunt æra, obtegitur rubigine ferrum
Martius & famulæ domitus ſtupet inguine mucro,
Pomaque ſponte cadunt tactis marcentia ramis.
Candida quin etiam perdunt cryſtalla nitorem,
Et ſpeculi maculatur honos, ſi femina lentos
Splendori intorſit radios; offuſaque tetris
Nubibus oppoſiti pereunt imitamina vultus.
Parva loquor; portenta alia & majora ſequuntur.
Eſt lacus obſcuris Judeæ in vallibus, unde
Æſtuat indomito nigrum lentore bitumen,
Hinc illi nomen vulgatum aſphaltidis undæ.
Cuncta vehit: tauri ingentes, Arabeſque cameli,
Immotis fluitant ſuſpenſo corpore lymphis.
At viſu informes ripæ, triſtiſſimus horror,
Et taciti mors atra lacus: non ludere circum
Dulce, nec herbarum fas eſt ſperare colores:
Tam gravis inde vapor, vitales inficit auras,
Omnemque extinguit glebæ genitalis honorem.
Ergo non choreas Nympharum, hilareſque catervas
Hæc loca mœſta vident, ſed gurgite ſegnis opaco
Torpor, & æterna ſub nube ſilentia regnant.
Idæa aſphaltos pice nigrior: ac Druidarum
Lentior ilicibus detracti numine viſci,
His deſpumat aquis; ſive illum flumina gignunt;
Cùm pater omnipotens Ætnæo ſulphure nubes
Incendit, ſubitiſque ruens tonat ignibus æther;
Seu pinguem ſuccum terræ ſpiracula ſudant,
Subter aquas: aliquam ſi maſſæ abſcindere partem
Coneris, ſequitur totum, deductaque ſemper
Fila, negant fortes ducendo abrumpere nexus.
At ſi femineo pollutum ſanguine linum

Admoveas, cedit domitus compage ſoluta
Lentor, & hærentis patitur divortia ſucci.
Hunc adeo in tetra illuvie mirabere morem,
Quod graviter jactas pelago ſervare carinas
Creditur, & dirum inviſa depellere ſidus
Tyndaridos; ſolum hoc proſit muliebre venenum.
Sed valeant natæ ventoſi numina ponti
Naufragiis ditare rates, animamque profundo
Errantem, & juſtis terram fraudare ſepulchris.
Non minus hæc fuerit miſeræ invidioſa poteſtas
Stirpis, & infauſtæ manifeſtus originis index.
Quin etiam blandos eadem furiare catellos
Dicitur illuvies, ſi quid de peſte cruenta
Guſtarint dapibus mixtum, miſerabile dictu.
Tunc rerum immemores, notas non amplius ædes
Agnoſcunt, nulloque hominum retinentur amore.
Non dominum reducem ante fores, de more ſalutant;
Vocis adulantes gannitu & verbere caudæ;
Sed pigri & triſtes obliqua tuentibus hirquis,
Sanguineam volvunt aciem, morſuque cruento
Corpora fida petunt, dantque immedicabile vulnus.
Tantum impreſſa animi mutant contagia mores.
At non formicæ, nam ſemina dira veneni
Parva licet, tactaſque valent diſcernere fruges:
Confeſtim & triſtis fugiunt diſcrimina noxæ.
Jam nulla Atraciis præſentior artibus herba eſt;
Nec quicquam ad Veneris magis inſuperabile fraudes,
Improba miſcet anus; non tantum virus equina
Hippomanes in fronte ſedet, quo pocula ſæpe
Miſcuit ignaro mulier laſciva marito.
Ergo hæc ſi generis labes primordia noſtri,
Semina ſi tam fœda homini; tam turpis origo,
Stemmata cur vana, & tituli jactantur avorum?

IN DIANAM

ODE.

DIanam canite inclytam
Magni progeniem Jovis;
Dianam, Aonides Deæ,
Læto dicite cantu.
O Phœbi ſoror, ô vagum
Noctis ſomniferæ decus!
Quam denſa ſerie ignium
Stipat turba minorum.
Nam poſtquam in Thetidis ſinus,
Sol feſſus nitidum jubar
Depreſſit, pelago æmulos
Tollis Cynthia vultus.
Nunc in cornua contrahis
Frontem, nunc mediam ſecas
Mox diſpendia non ferens,
Pleno lumine fulges.
Nutrita interea tuis
Creſcunt gramina roribus;
Turgent buccina, & oſtrea
Inter ſaxa latentes.
Te vaſti arbiter æquoris
Neptunus ſociam advocat,
Cum per ſpumea litora
Raucos explicat æſtus.
Te ſpiſſa nemorum comæ,
Nymipharumque juvant chori;
Te fontes liquidi, quibus
Sacros abluis artus.
Tunc immitior aſpici
Diceris: miſer ah miſer!

Quiſquis

Quiſquis te temere aſpicit
Puro in fonte lavantem.
Hinc fœdam oppetiit necem
Cadmi magnanimus nepos
Heu! cervi ſpecie ſuis
Datus præda moloſſis.
Nec viſu gravis es minus,
Cum Latmi ſuperans juga;
Cæcis callibus ad tuum
Furtim tendis amantem.
Tu Lucina laboribus
Ades Parturientium;
Tu lætam ſobolem extrahis
Dias lucis in oras.
Tu menſes celeri ambitu
Volvens, dividis annuum
Orbem, tu rigidos beas
Larga fruge colonos.
Et nos Cynthia reſpice
Virgo propitia face;
Et cum pulchro Heliconidas
Serves fratre puellas.

AD ATTALUM.

Quod nullâ Amor hiemis inclementiâ miteſcat.

NE fortè credas, quas Amor incutit,
Regnante bruma, poſſe minus faces;
Quin corda tunc flammis perurit
Acrius, & fruitur pruinis.
Quantum nivali ſæviat, ATTALE,
Frigus ſub Arcto ſcis: tamen has plagas

Vicit pharetratus cupido,
Et Scythicos regelavit amnes.
Latum puellæ cùm decus Atthidos
Olim, & nitentes trux Aquilo genas
Miratus, evicto rigore
Omnibus incaluit medullis.
Tunc quà Triones flumina perluunt,
Non ante viſis cornua floribus
Cinxere, deformiſque tellus,
Inſolitos habuit colores.
Tunc ipſe mores & Boreas feros
Mollire cultu cœpit, & hiſpidis
Cryſtalla decuſſit capillis,
Purpureoque leves amictu
Velavit artus: atque ita prænitens,
Caliginoſam deſeruit ſpecum,
Quam torpor æternus, geluque,
Cimmeriæque premunt tenebræ.
Errabat altis regia montibus,
Florum rapaces virgo trahens choros;
Odore quà felix Hymettus
Mellificas recreat volantes;
Cum raptor atro turbine proterens
Impulſa ſilvis ligna trementibus,
Invaſit optatos amores,
Et Ciconum repetivit oras.
Victum puellâ riſit Amor Deum;
Riſit tumentes qui fluvios gelat,
Algoris immenſi parentem
Idaliis tepuiſſe flammis.

VERNA DEAMBULATIO,

REI HERBARIÆ CAUSA:

Cùm juvenis ſub Veſpaſiano Robino, illuſtri & reg. Prof. Botanico, agros luſtraret.

AUdebunt alii caſus tentare marinos;
Et fragilem pelago pinum, laniandaque ventis
Vela dabunt; Indorum opibus ditata petentes
Litora. Me riguis paſſim ſurgentia campis
Gramina, & innocuos placidæ telluris honores
Explorare juvat: favet his lætiſſima cœptis
Tempeſtas, ridenſque polus meliore ſereno.
Nunc frondent ſilvæ, nunc omnis floribus arbos;
Spondet adorantes votis damnare colonos.
O quales oculis exponunt prata colores!
Sed meliora latent, curiſque incognita vulgi.
Nec me hæc terrarum tantum pictura moratur,
Occultæ quantum vires, quas ſtirpibus imis
Implicuit natura parens, obnoxia morbis
Corpora, & infandos hominum miſerata labores.
Quis mihi det tantas herbarum noſcere dotes?
Quis Deus ingenium? Perque avia teſqua vaganti,
Naſcentum genera atque omnes diſcernere formas?
Ductor erit, turbamq; hilarem per amœna ROBINUS
Rura trahet: ſtudio herbarum notiſſimus ille
Montibus & ſilvis: hunc rustica numina Fauni,
Hunc Dryades norunt: illum pharetrata Diana,
Nube latens, nemorum per devia ſæpe ſecuta eſt
Cum grege Hamadryadum, cupiens audire loquentẽ,
Cùm juvenum cœtu tendit comitatus in agros.
Illum etiam, blanda qui luce educit in auras,

Quicquid mater alit tellus, complexus Apollo
A puero, in montes raptum ſæpe abſtulit altos,
Et magno herbarum ſtudii inflammavit amore.
Quas non ille plagas, quæ non loca circuit Orbis?
Quos non exhauſit, terraque marique labores?
Omnia dum ſtudio geſtit virgulta videndi.
Tantus amor laudum. Non plus telluris obivit
Inclytus ille Cilix, auſus qui cuncta priorum
Inventa excutere, & ſeptem comprendere chartis.
Nec melior ſtirpes olim reſecare Cratevas,
Aut cuiquam hac veterum conceſſerit arte ROBINVS.
Illum etiam IVSTVS, *qui nunc victricibus armis*
Gallorum illuſtrat gentem, ſedeſque tuetur,
Impulſus famâ, ante alios regalibus omnes,
Præfecit Medicorum hortis, qui gramina monſtret
Sedulus, & magni diverſis partibus orbis
Allatas, pulchro diſponat in ordine plantas.
Hoc duce ſilvarum nobis ſecreta patebunt,
Nympharumque domus, nec nos ſtirps ulla latebit.
At vos, Silvicolæ Dryades, quibus avia curæ
Sunt loca, vos nemorum præſentia numina, Fauni;
Frondiferas reſerate domos, recludite fontes,
Atque omnes nobis antrorum aperite receſſus.
Nullæ hic inſidiæ, non ſtrages ulla paratur
Arboribus: qualem ſub diro Eriſichthone quercus
Frugiferæ ſacrata Deæ, multoſque per annos
Inviolata, tulit; cùm crebra afflicta bipenni
Concidit, & triſtes proſtravit pondere ſilvas.
Nec Medea ferox, quas luna teſte legebat,
Nuda pedem, & ſparſos humeris reſoluta capillos;
Dira quibus Circe, ſocios mutavit Vlyſſis;
Pocula ſæpe quibus diræ infecere novercæ,
Quærimus Hæmoniis ſuccidere falcibus herbas.
Non pudor uſque adeo nos, & reverentia legum,

Averſata fugit. Pereant qui talia volvunt
Conſilia, & meritas pendant ſub judice pœnas.
Sed neque nos ſtudium venandi has ire per umbras
Altorum impellit nemorum; nec ſi qua Dianæ
Cerva in deliciis, lucis ingentibus errat;
Candenti geſtans aurata monilia collo,
Tuta minus molli nemorum requieſcet in umbra.
Sit fas innocuos frondoſa per avia greſſus
Inferre, & varios naſcentum diſcere vultus.
Non has intramus Divum ſine numine ſedes;
Formoſæ Aonides, atque ipſe impulſor Apollo.
Et nos magnorum, melior quos protulit ætas,
Exempla heroum ducunt, notiſſima ſeclis.
Non aliter veteres Podalirius, atque Machaon,
Et qui magnanimum monitis formavit Achillem;
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus,
Quæſivere ſuis natas in montibus herbas.
Nec fuit indignum ſupremi ingentibus actis
Herois, gemino ſtirpes monſtrante magiſtro,
Æmathiis erraſſe jugis; quæ cuique poteſtas,
Peliacis olim puerum didiciſſe ſub antris.
Dona Deum petimus, triſtes pellentia morbos.
His aurum, his gemmæ cedant: nec decolor Indus,
Si quid Erythræa pretioſius elicit alga,
Comparet, & quicquid ventoſa per æquora portat
Mercator, totum perluſtrans puppibus orbem.

IN MEDICVM

LOCVTVLEIVM.

QVid vultu nimium gravi, quid ore,
Coi grandiloquo ſonas magiſtri,

Morborum popularium libellos;
Totque oracula Principis medentum?
Fruſtra. Nam mala febrium caterva
Iſtam non timet eruditionem;
Doctoris neque longa pileati
Pallæ Syrmata, purpuramque curat.
Quid fumus juvat iſte? Quid ſtupenti
Ignotas populo ſonare linguas?
Ille æger veteri jacens grabato,
Cui molles fèbris exedit medullas
Quartana, & vadimoniis reviſens
Totum jam repetit vices per annum:
Artes poſtulat efficaciores.
Ægris auxilium, & manus potentes
Non voces adhibe: hoc opus, laborque.
Vincas Harpocratem licet tacendo,
Te modo Hippocratem probes medendo.
Hic verè mihi maximus Machaon;
Non quid ſint, bonus explicare morbos:
Cunctaſque ordine diſputare cauſas:
Sed qui frangere ſcit catus medendi,
Hic ſolus mihi maximus Machaon.

ΠΤΩΧΙΑΤΡΕΙΑ.

In eos, qui ab antiquis proditas medicamentorum compoſitiones inſano faſtu repudiant.

IATRICE, *almi vera Apollinis proles;*
Tutela vitæ certa, ſoſpitatrixque:
Quid ita ſolutis crinibus vaga inſuetas
Mittis querelas? Quiſve te exulem, cogit
Deſerta teſqua quærere, & feras rupes

Habitare, tantis rebus, & bonis caſſam?
Quæ poſſidebas ante, quum tibi læti
Fulſere ſoles. Aliquis an tibi Divum,
Aut Diva ſævit? Gentis aut quis humanæ
In te miniſter impius furit, qualis
Victus Galeno Theſſali horruit faſtus?
Nunquid novator iſte, qui tumens falſo
Melioris ævi lumine, omnibus leges
Audet ſuperbas ponere, & (nefas) te nunc
Opibus avitis exuit, tibi inſultat,
Cogitque egentem verba nectere, & fraudes.
Ille ille inanes qui tot arduis clamat
Stirpes virere in montibus, per & valles,
Et ſaxa muſcoſa, & profunda ſilvarum:
Contemptor artium omnium quibus florent
Veterum officinæ, ſolus ut calybs regnet,
Multas reſolvens ſanguinis boni libras;
Et quo lavetur hilla, furfuris clyſter;
Aut ſena miti conjugata pulmento,
Serumve lactis, hordeique decoctum.
Contentus iſtis reliqua reſpuit demens
Inventa Divum priſca, quæ ſenex Cous,
Quæ Pergamenus occidentibus nunquam
Miſere chartis: qui tot optimas ridet
Confectiones, vana circulatorum
Commenta dicens; denique improbus cenſor;
Totam medentum Pharmaceuticen damnat;
Scalpella crebra ut tortor imprimat venis,
Hauſtumque cum atro ſpiritum exigat morbo.
Agnoſco, Diva, luctuum hæc tibi cauſa
Juſta eſt, tuaſque doctior gemit clades
Orbis, tibique fata vindicem debent.
O Phœbe, cernis iſta, nec laboranti
Diro ſub hoſte ſubvenis pater gnatæ?

IN NOVAM HIPPOCRATIS EDITIONEM,

Io. Antonidæ Vanderlinden ſtudio adornatam.

M*Orborum dubias quiſquis origines,*
Et caſus varios, & medicamina,
Noſtri noſſe cupit munera Cynthii;
LINDANI *tumulo purpureas gemens*
Inſpergat violas, albaque lilia;
Auditumque procul nomen ad æthera
Certet perpetuis tollere laudibus.
Quem nuper Batavûm terra opibus potens;
Multúmque ingenuis artibus inclyta,
Admirata choros inter amabiles
Doctorum, gravido quos alit ubere.
Coi preſſa ſenis dicta recludere
Curandique vias pandere doctior
Ecquis, moribus aut ſanctior extitit?
Solers quin etiam ſecta refingere
Summi Aſclepiadæ membra habilem in modum:
Quò geſtare ſinu ſit facile omnibus,
Quem vaſto prius haud corpore mobilem
Servabant plutei; ceu tepidus gravi
Victum membra ſitu lectulus alligat.
Nunc poſtquam ſenium & pondus inutile,
LINDANI *eximiis artibus exuit;*
Muſarum exiliet ſedibus intimis;
Quò fors cumque feret, perpetuus comes
Doctorum; irrequies quos amor artium
Noctes atque dies ſollicitos tenet.

AD

AD PHYLLIDEM

ODE.

QUalis ſub antris Idaliæ Venus,
Pulſante Phœbo jam medium æthera;
Procumbit, & meſſes roſarum
Corpore diva premit ſupino.
Talem te opacâ, PHYLLI, ſub Ilice
Lætis reclinem graminibus tenet
Somnus, Pharetratique circum
Agmine pervolitant amores.
Languens ſiniſtram defluit in manum
Cervix, reflexum dextra premit femur:
Pectus ſed incautum, & retectas
Faſcia deſtituit papillas.
Nec jam ſolutas vitta tenet comas,
Sed pervagari colla licentius
Permittit, & leni ſub aurâ,
Aureolos ſinuare fluctus.
At terra ſubtus fundit Amaraci
Gratos odores, liliaque, & crocos,
Mollemque Narciſſum, & nitentes
Lenta hedera explicuit corymbos.
Ah! ne quis iſtic te Satyrus procax
Cernat caveto; quin ſuperûm pater
Sic te jacentem ſi videbit,
Mugiet, aut niveus volabit.

AD CARTUSIANUM AMICUM;

Quòd clauſtra ingreſſus, Vale, dixiſſet Muſis.

Gentis adhuc noſtræ, & formam retinere priorem;
Credam ego, BRUNONIS *qui ſubiere domos?*
Quos emiſſa tenent irruptis vota catenis,
Perpetuoque premit norma ſeverá jugo.
Pierias tectis potuiſti excludere Divas?
Et potes his duras claudere, ſæve, fores?
Atqui nemo magis Muſarum ardebat amore;
Nullum dilexit muſica turba magis.
Quæ te mutarunt Circeïa pocula? quæve
Carmina Peliacis ære refecta jugis?
An quia liquiſti mundum, rituſque priores?
An quia te dura compede vota tenent?
Mortuus es terris? Atqui quos Parca ſub umbras
Duxit in Elyſiæ læta vireta plagæ;
Segnia non capiunt antiquæ oblivia laudis,
Indita nec morum ſemina mente cadunt.
Quo quiſque impulſus ſtudio, dum vita manebat;
Durat, & invito funere vivit amor.
At tu vivus adhuc Phœbeas deſeris artes;
At tu firmus adhuc carmina blanda fugis.
Ejuras modulos: ſed enim natura repugnat:
Complexuque tuo Phœbus abire negat.
Quem fugis ah! demens? Te quondam in luminis oras!
Naſcentem excepit docta caterva ſinu.
Illa tibi primos ſtillavit in ora liquores,
Cæleſti puerum pavit & Ambroſia;
Te ſibi conſtantem & proprium ſperavit alumnum;
Decipiunt ipſos heu! ſua vota Deos.
Si biberes Tanaim, ſi te ſaxoſus in antris
Caucaſus, aut triſti clauderet urſa gelu:
Si te Boſphoria captivum barbarus unda;
Parthorum immanis ſi cohiberet eques;

Non te Muſarum ſtudiis mirarer iniquum ;
Plurima mutari compulit ipſe locus.
At tibi nec cælum, nec tetris moribus obſtat
Terra, nec ulla bonis artibus apta magis.
Et tibi quæ ceſſit dulcis, me judice, ſedes,
Aonias digna eſt ſollicitare Deas.
Cynthius hac ultro Parnaſſi umbracula mutet,
Quodque viret celſo ſacrum Helicone nemus.
Non tibi delicias agrorum auſtera negavit
Norma, nec Alcinoi quas dabat hortus opes.
Quos tibi non rediens oſtendit Flora colores ;
Cùm teneram Zephyris ver patefecit humum ?
Quos non Autumni pandit tibi gratia fœtus ?
Quàm largo fundit munera cuncta ſinu ?
Aſſita perſpicuas umbrant arbuſta feneſtras,
Invitant cupidas obvia poma manus.
Nec deſunt virides Phœbeia munera laurus ;
Debueras illa nectere fronde caput.
Erranteſque hederæ certant tibi nectere frontem,
Quam vellent raptas cingere poſſe comas !
Non cedunt hederis vites, ſociaſque per ulmos
Innumeris flectunt brachia lenta modis.
Interea reſidens ſub amica fronde volucrum
Dividit argutos turba canora modos.
Felices ! quibus hæc veneranda ſilentia fas eſt,
Rumpere, & arcanas voce ciere preces.
Hæc tibi Pierios poterant revocare furores ;
Sopitas animis hæc renovare faces.
Aſpice, cuncta tibi ut ſuadent, quas deſeris, artes.
Scribere nec verſus norma ſevera vetat.
Quid magis eſt gratum ſuperis modulamine dulci ?
Quaſve magis reſonant pulpita ſacra preces ?
Non ſic iratum placaverit ista Tonantem
Victima, non caſtis addita tura focis.

Fata Deûm numeris quondam cecinere Sibyllæ,
Carminibus gaudent numina ſancta loqui.
Et Vates ſacer ardor agit, longèque per auras,
Tollit amatores ardua Muſa ſuos.
Ergo age quid dubitas & tu quoque carpere, planum
Natura ad ſuperos, quod tibi monſtrat iter?

EX ANACREONTICIS.

O qui per alta cæli
Spatia, rotis perennem
Curſum tenetis, ignes,
Veſper, decuſque opacæ,
Numen triforme, noctis;
Tuque inſolens marinis
Tingi vadis, Boote.
Adeſte mi vaganti,
Seras temere per umbras,
Amoris eſte cæci
Duces; viam furori,
Precor, date innocenti.
Volo puellam adire,
Meum videre ſidus,
Parem Deis puellam.
Vultu micate puro:
Procul polo faceſſant,
Quæcumque obeſſe poſſunt
Prætextu opaciore.
Verùm, ô quid aſtra, demens
Precor, minora cæli?
Majus tu adeſto ſidus
Mî, dulcis Hypſithilla.
Tu blandior mihi lux;
Tu certior mihi dux
Cæcas eris per umbras;
Quàm Luna noctiluca;

Quàm Veſper, aut Bootes,
Quàm cuncta ſigna cæli.
Ergo valete, ſeri
Noctis ſilentis ignes;
Alias puella flammas;
Aliud puella lumen,
Mi præbet ambulanti.

AD APOLLINEM.

NOn te ſupino, Phœbe, ſilentio
Tranſire tutum eſt: te citharæ ducem;
Qui vocis inflexus novenæ
Pierio moderaris antro.
O grande mundi præſidium! ô ſalus!
Quacumque molles, Oceano redux,
Torques habenas; qua micantes
Purpureo rapis axe currus.
Te nox inani cuncta premens metu,
Te fida larvis umbra vagantibus,
Somnique torpentes, reducto
Præcipites fugiunt Eoo.
Blandum excitatæ tunc reparant melos
Silvis volucres; tunc ſtabulis agunt
Armenta Paſtores, & aptas
Cantibus expediunt cicutas.
Notis refindunt arva laboribus
Fortes juvenci; tum nemorum comæ,
Fonteſque, ſpeluncæque raptos
Nocte obita repetunt colores.
Tu denſa findis nubila, tu polum
Raptum procellis, reſtituis Jovi;
Tu cogis hibernas beatis
Cedere temporibus pruinas.
Tu monſtra victor conficis aureo

Arcu: loquaces quanta ſonant ſpecus,
Sub monte, quem Python reliquit,
Sidereis domitus ſagittis.
Te ſenſit olim perfida Tantalis
Vltorem, in ipſo marmore perpetes
Teſtata luctus: flet ſub alto
Monte lapis, Sipylumque terret.
Flevere torvi funera Marſyæ
Triſtes Celanæ, qui dominam chelyn
Speravit, æternoſque cantus
Flumineis ſuperare cannis.
Tu carminum rex, tu citharæ potens;
Quum plectra docta ſollicitas manu,
Suprema mulcentur Deorum
Concilia, emodulante chordâ.
Fulmen ſolutis armiger unguibus
Remittit ales, tela cadunt Jovi:
Ceſſura non æque Sabæis
Ignibus, aut pecudum cruori.
Non ſi reſurgat Centimanus Gyges,
Rurſuſque Phlægram concitet in Deos:
Ætnæa placatum Tonantem
Tela juvent, modulante Phœbo.
Te priſca Delos, te Lyciæ colunt
Dumeta; Cirrhæ te placidum nemus,
Lauruſque fatorum miniſtra, &
Pegaſei recreant liquores.
Doctis medentum tu quoque cœtibus
Mentem dediſti, te duce ut eruant
Arcana naturæ potentis,
Et tacitos penetrent receſſus.
Scis quæ dolores herba levet graves;
Quis ſuccus atrum ſiſtere ſanguinem
Poſſit; quis infixum medullis
Arte citâ revocare ferrum.

Tu reddis ægris jam morientibus
Lucem negatam; tu Stygias anus
Compellis ad metam ſenectæ
Diruta continuare penſa.
Felix, amica quem face reſpicis!
Non illum iniquus militiæ labor,
Non arma, non currus juvabunt,
Partaque funeribus trophæa.
Non ſpes avaras inſtitor horridis
Credet procellis: non rabiem fori
Spumabit; aut ſumet ſecures,
Arbitrio popularis auræ.
Sed longè amœnis devius in jugis,
Viſet frequentes Caſtalidum choros?
Qua fons Meduſæus ſonanti
Præcipites agit amne lymphas.
Diſcet ſub umbra ludere, quæ legant
Seri nepotes: qualia candidi
Teſtudo decantat Menagi,
Andegavis iteranda Nymphis.
Qualeſve fundit grandiloquus modos;
Aureliæ dum pandit Amazonis
Pugnas, & exactos tyrannos
Hectoreis Capelanus arvis.

IN HOMINEM

TOTO CORPORE ARMATUM.

QUæ nova, heu! bipedis repente nobis
Aſpectu facies truci, ſub auras
Emergens, gelidos ciet pavores?
Quidnam hoc monſtri? Homo ferreus movetur;
Immanes ſtrepitu rotat lacertos,

Et cognata manu coruſcat arma.
Ferratum video caput ; comantes
Criſtas fundit apex , ſed ora nuſquam ,
Nuſquam frons , oculi , gena , capilli :
Nil horum video ; ſtatura tantum eſt ,
Et rudis ſtatua , & tamen movetur :
Fabrilique chalybs politus arte ,
Membris omnibus , ut cutis , cohæret.
Sic formæ melioris omne lumen
Ferri Martius occupavit horror.
Talem Caſtalio tremens novali
Prolem fudit humus , ſtupente Cadmo ;
Naſci prælia , ferreamque meſſem.
Quis Deûm *dedit hanc luem ? immo diras*
(Nam mille huic video pares) catervas ,
Induxit populis ? Faber-ne Divum
Vulcanus , Sicula extulit taberna ,
Qua quondam tripodas peregit arte
In certamina ſponte prodeuntes ?
An Tellus Superum incitata faſtu ;
Priſcorumque necis memor Gigantum ;
Hoc monſtrum Jove non probante , fudit ?
Quocumque orta ſatu ; nefanda peſtis ,
Non fallit ſpecies , rigorque ferri :
Cor intus chalybe haud minus rigenti
Rigens , indomitum , latet ſub armis.
At vos , ſi qua homines juvat poteſtas ;
Adeſte , ô Superi , impotenſque monſtrum
Manes mittite protinus ſub imos :
Aut cedat procul exteras in oras
Quas fluctu Tanais lavat tumenti
Aut Ponti accola Boſphorus coercet.
Illic materiam cruenta regna
Largam ſanguineo dabunt furori.

IN OBITUM VIRI ILLUSTRIS, NICOLAI HEINSII.

EPICEDIUM.

Maximus huc Batavis venit modo luctus ab oris;
  Dicitur Heinſiades noſter obiſſe diem:
Muſarum Heinſiades columen, Phœbique Sacerdos,
  Quo nullus Pindi major in arce fuit.
Quo ferar? aut quo nunc impellam ſidera queſta?
  Quoſve putem faciles vatibus eſſe Deos?
Implorem Phœbum aut Muſas, quæ ſurda vocanti
  Numina cultorem deſtituere ſuum?
Aut aliquis poſthac ingratum Helicona frequentet;
  Et ſolitos vatum curet obire choros?
Quid cantare juvat, ſi mors rapit atra canentes,
  Et clauſa dulces reſpuit aure ſonos?
At dono potuiſſe ferunt vitare Calypſus,
  Dulichium Ditis triſtia regna ducem:
Invictam potuiſſe ævo perſtare Sibyllam,
  Et nunquam inviſas noctis adire domos;
Si quod poſcebat cupido indulſiſſet amanti,
  Ille nec optato caſſus amore foret:
Nondum Tithono potuiſſe abrumpere Parcas
  Fila, licet gelidum longa ſenecta premat:
Dicitur & fidicen triſtes Oeagrius umbras
  Flexiſſe, Euridicemque inde tuliſſe ſuam.
Nimirum hæc priſcis conſtat malè prodita chartis;
  Talibus & dictis non adhibenda fides.
Nulli fata datur, fixaſque refigere leges;
  Nulli Parcarum diſſoluiſſe colos.
Omne genus pecudum mors abripit, omne ferarum:
  In mediis piſces hæc quoque captat aquis;
Nec pictas levis ala poteſt ſervare volucres;
  Nubibus in mediis has quoque ſæpe rapit:

Nos quoque ſæva domat miſeros : quid lapſus ab alto
Spiritus & Divum dona ſuperba juvant?
Mens celeri totum motu quæ circuit orbem,
Auſa Deum celſas mens penetrare domos:
Quam non ulla queunt ſegnis contagia terræ
Tardare, ingenio quo minus aſtra petat:
Illa etiam Solis curſus metitur equorum,
Illa tuum Phœbe per cava noctis iter;
Num minus Archytam cæli omnia jura tenentem
Communi Lacheſis contumulavit humo?
Aut magis ille parens vatum, primuſque magiſter,
Magnus Avernales fugit Homerus aquas?
Te quoque vis eadem triſtes demiſit ad umbras,
Docte Maro, nobis carmina ſola manent:
His vivis, viveſque omnes ſecurus in annos;
His quiſquis vates vivere digna facit.
Tuque adeo Aoniæ decus immortale catervæ,
Heinſiade, mortis carmine victor eris:
Nec quæ junxiſti numeris vis ulla reſolvet,
Oſſa licet ſolito pulvere condat humus.
Heinſiades vivit; vivum cur fletis amici?
Humida cur tantus manat in ora liquor?
Heinſiadæ totum volitabit fama per orbem:
Audiet egregium nomen uterque polus.
Tu quoque inexpletos, GRÆVI, *jam deſine queſtus*
Fundere, & aſſiduis ſaxa movere modis:
Pone modum lacrimis: non ſi modulamine vincas
Orphea, te nigro ter vehat amne Charon.
Cantibus ætherias poſſis revocare ſub auras
Quem ſemel accepit terra ſuprema ſinu.
Ornemus cineres, tollamus marmora cælo,
Qua licet: inferias docta caterva paret:
Spargantur tumulo flores, ſuper æthera juſtas
Heinſiadæ laudes ora diſerta ferant.

Proin relictis ſeriis, ſolum avios
Nemorum receſſus cogito, & fontes ſacros,
Notaſque Faunis & choris Dryadum ſpecus,
Quo me cupido frigoris opaci trahit.
Nudum corymbis hedera præcingit caput;
Aut ſacra Veneri myrtus, aut vacinium:
Veneri inimica nec torum facilem negat
Vitex, Minervæ triſte Cecropiæ nemus.
Lapis ipſe muſcum, & fontibus nullis madens
Gignit adiantum. Sæpe me inibi detinet
Domina ſonantis Naïs undipotens vadi,
Malamque vivo gurgite extinguit ſitim;
Cui ſe Lyæus corniger miſcet libens.
Neque hoc Sororum ignorat Aonidum cohors:
Aut me vacantem non probat eo tempore.
Quin ipſæ omiſſis fortium laboribus
Heroum, ad aſtra laude quos merita efferunt,
Gaudent leonem extinguere pudicis vadis,
Propriiſque nuda membra fontibus lavant.
At tu, MENAGI, *nunc quoque abditus ſtudes;*
Nunc pervicaci paginas denſas manu
Volvis, revolvis, ſcribis, exſcribis, notas,
Meditaris, edis carmina, & totum quatis
Helicona: ſed quieſce, ſit ſtudiis modus;
Muſiſque ſaltem parce, ſi haud parcis tibi.

AD CALENUM.

Quod ſtudiis amœnioribus relictis, obſcuras genealogias ſcribere inſtituat.

PImplæos ſolitus fontes & ſacra, CALENE,
Et bijugi dulces montis obire choros;

L

Qui prius haud tetricâ fundebas carmina venâ,
Qualia Naſonis blanda Thalia ſonat;
Et quales dedit ille jocos, quem jactat alumnum
Bilbilis, arguti rex epigrammatii:
Nunc priſca evolvis veſtra tabularia gentis,
Viliaque obſcuro buſta labore colis.
Quot Lemovica patres tulerit, quot terra nepotes,
Quot fora cauſidicos, ſed ſine fine refers.
Quid ſi vere novo ſtudeas quot frondibus ingens
Silva novis reparet, dinumerare comas?
Quot pereant frondes, cum turbidus ingruit auſter
Montibus, & terras mœſta reviſit hiems.
Sic genus eſt hominum; mixti ſurguntque, caduntque:
Qua cadat, aut ſurgat, ſtat ſua cuique dies.
Quid ſcribam, præſcribe, inquis: nam ſcribere certum eſt:
Non bibo; nec tota ſtertere nocte placet.
Cætera ſi deſunt, malim celebrata reponas,
Pridem Mæoniis Troica fata modis:
Dulichios iterum ventoſa per æquora curſus,
Scyllæoſque refer, monſtra cruenta, canes.
Antiphatem, plenos & tempeſtatibus utres,
Cyclopa, & quicquid Græcia vana ſonat.
Cuncta feram: modo parce tua tabularia gentis
Edere; quotque habet urbs veſtra referre domos

Sic meruit, totum ſtudiis melioribus ævum
Qui dedit, innumeras pectore fudit opes:
Cujus adhuc noſtras mulcet concentibus aures,
Dum ferit argutam blanda Thalia Chelyn.
Non elegos melius Naſo, non ipſe Tibullus,
Nec magis exacta concinuere fide.
Quid memorem veterum docto emendata labore
Scriptorum innumeris tot monumenta locis?
Felix ille labor, per quem fœcunda revulſis
Pieridum melius ſentibus arva nitent.
Nunc mihi, Naſo, places; poſtquam tibi cura ſagacis
Heinſiadæ, antiquum rettulit omne decus.
Quàm juvat Andini, quale eſt mirata potenti
Roma ſub Auguſto, cernere vatis opus!
Ut Peluſiaci retinet me Muſa poëtæ,
Infernos grandi qui canit ore toros!
Ut meliore nitet vultu, utque triumphat eadem
Sub ferula veterem depoſuiſſe ſitum?
Heinſiadæ magnum gaudent præfigere nomen
Frontibus, & junctum ſemper habere ſuo.
At mores niveos, quamque officioſus in omnes
Vixerit, æquali quis ſatis ore ſonet?
Cui magis incorrupta fides, rectumque, pudorque
Conſtitit, & ſanctæ fœdus amicitiæ?
Hæc alii melius celebrent, tuque, optime GRÆVI,
Quo decet eloquio perſpicienda dabis:
Cui pius exequias Phœbus mandavit alumni:
Tu melius magnis manibus apta vides.
Felix Heinſiades, talem ſortitus amicum:
Ingenio vivet non minus ille tuo.
Non majus poterat quicquam præſtare ſepulto
Fortuna, hoc, Gravi, quod colis officio.
Nota viri virtus pridem omnibus: ut tamen illam
Certius agnoſcant, hæc tua cura facit.

Arcu: loquaces quanta ſonant ſpecus,
Sub monte, quem Python reliquit,
Sidereis domitus ſagittis.
Te ſenſit olim perfida Tantalis
Ultorem, in ipſo marmore perpetes
Teſtata luctus: flet ſub alto
Monte lapis, Sipylumque terret.
Flevere torvi funera Marſyæ
Triſtes Celænæ, qui dominam chelyn
Speravit, æternoſque cantus
Flumineis ſuperare cannis.
Tu carminum rex, tu citharæ potens;
Quum plectra docta ſollicitas manu,
Suprema mulcentur Deorum
Concilia, emodulante chordâ.
Fulmen ſolutis armiger unguibus
Remittit ales, tela cadunt Jovi:
Ceſſura non æque Sabæis
Ignibus, aut pecudum cruori.
Non ſi reſurgat Centimanus Gyges,
Rurſuſque Phlægram concitet in Deos:
Ætnæa placatum Tonantem
Tela juvent, modulante Phœbo.
Te priſca Delos, te Lyciæ colunt
Dumeta; Cirrhæ te placidum nemus,
Lauruſque fatorum miniſtra, &
Pegaſei recreant liquores.
Doctis medentum tu quoque cœtibus
Mentem dediſti, te duce ut eruant
Arcana naturæ potentis,
Et tacitos penetrent receſſus.
Scis quæ dolores herba levet graves;
Quis ſuccus atrum ſiſtere ſanguinem
Poſſit; quis infixum medullis
Arte citâ revocare ferrum.

Tu reddis ægris jam morientibus
Lucem negatam; tu Stygias anus
Compellis ad metam ſenectæ
Diruta continuare penſa.
Felix, amica quem face reſpicis!
Non illum iniquus militiæ labor,
Non arma, non currus juvabunt,
Partaque funeribus trophæa.
Non ſpes avaras inſtitor horridis
Credet procellis: non rabiem fori
Spumabit; aut ſumet ſecures,
Arbitrio popularis auræ.
Sed longè amœnis devius in jugis,
Viſet frequentes Caſtalidum choros?
Qua fons Meduſæus ſonanti
Præcipites agit amne lymphas.
Diſcet ſub umbra ludere, quæ legant
Seri nepotes: qualia candidi
Teſtudo decantat Menagi,
Andegavis iteranda Nymphis.
Qualeſve fundit grandiloquus modos;
Aureliæ dum pandit Amazonis
Pugnas, & exactos tyrannos
Hectoreis Capelanus arvis.

IN HOMINEM

TOTO CORPORE ARMATVM.

QVæ nova, heu! bipedis repente nobis
Aſpectu facies truci, ſub auras
Emergens, gelidos ciet pavores?
Quidnam hoc monſtri? Homo ferreus movetur;
Immanes ſtrepitu rotat lacertos,

Et cognata manu coruſcat arma.
Ferratum video caput ; comantes
Criſtas fundit apex, ſed ora nuſquam,
Nuſquam frons, oculi, gena, capilli :
Nil horum video ; ſtatura tantum eſt,
Et rudis ſtatua, & tamen movetur :
Fabrilique chalybs politus arte,
Membris omnibus, ut cutis, cohæret.
Sic formæ melioris omne lumen
Ferri Martius occupavit horror.
Talem Caſtalio tremens novali
Prolem fudit humus, ſtupente Cadmo ;
Naſci prælia, ferreamque meſſem.
Quis Deûm *dedit hanc luem ? immo diras*
(Nam mille huic video pares) catervas,
Induxit populis ? Faber-ne Divum
Vulcanus, Sicula extulit taberna,
Qua quondam tripodas peregit arte
In certamina ſponte prodeuntes ?
An Tellus Superum incitata faſtu ;
Priſcorumque necis memor Gigantum ;
Hoc monſtrum Jove non probante, fudit ?
Quocumque orta ſatu ; nefanda peſtis,
Non fallit ſpecies, rigorque ferri :
Cor intus chalybe haud minus rigenti
Rigens, indomitum, latet ſub armis.
At vos, ſi qua homines juvat poteſtas ;
Adeſte, ô Superi, impotenſque monſtrum
Manes mittite protinus ſub imos :
Aut cedat procul exteras in oras
Quas fluctu Tanais lavat tumenti
Aut Ponti accola Boſphorus coercet.
Illic materiam cruenta regna
Largam ſanguineo dabunt furori.

IN OBITUM VIRI ILLUSTRIS,

NICOLAI HEINSII.

EPICEDIUM.

Maximus huc Batavis venit modo luctus aboris;
Dicitur Heinſiades noſter obiiſſe diem:
Muſarum Heinſiades columen, Phœbique Sacerdos,
Quo nullus Pindi major in arte fuit.
Quo ferar? aut quo nunc impellam ſidera queſtu?
Quoſve putem faciles vatibus eſſe Deos?
Implorem Phœbum aut Muſas, quæ ſurda vocanti
Numina cultorem deſtituere ſuum?
Aut aliquis poſthac ingratum Helicona frequentet;
Et ſolitos vatum curet obire choros?
Quid cantare juvat, ſi mors rapit atra canentes,
Et clauſa dulces reſpuit aure ſonos?
At dono potuiſſe ferunt vitare Calypſus,
Dulichium Ditis triſtia regna ducem:
Invictam potuiſſe ævo perſtare Sibyllam,
Et nunquam inviſas noctis adire domos;
Si quod poſcebat cupido indulſiſſet amanti,
Ille nec optato caſſus amore foret:
Nondum Tithono potuiſſe abrumpere Parcas
Fila, licet gelidum longa ſenecta premat:
Dicitur & fidicen triſtes Oeagrius umbras
Flexiſſe, Euridicemque inde tuliſſe ſuam.
Nimirum hæc priſcis conſtat malè prodita chartis;
Talibus & dictis non adhibenda fides.
Nulli fata datur, fixaſque refigere leges;
Nulli Parcarum diſſolüiſſe colos.
Omne genus pecudum mors abripit, omne ferarum:
In mediis piſces hæc quoque captat aquis;
Nec pictas levis ala poteſt ſervare volucres;
Nubibus in mediis has quoque ſæpe rapit:

Proin relictis ſeriis, ſolum avios
Nemorum receſſus cogito, & fontes ſacros,
Notaſque Faunis & choris Dryadum ſpecus,
Quo me cupido frigoris opaci trahit.
Nudum corymbis hedera præcingit caput;
Aut ſacra Veneri myrtus, aut vacinium:
Veneri inimica nec torum facilem negat
Vitex, Minervæ triſte Cecropiæ nemus.
Lapis ipſe muſcum, & fontibus nullis madens
Gignit adiantum. Sæpe me inibi detinet
Domina ſonantis Naïs undipotens vadi,
Malamque vivo gurgite extinguit ſitim;
Cui ſe Lyæus corniger miſcet libens.
Neque hoc Sororum ignorat Aonidum cohors:
Aut me vacantem non probat eo tempore.
Quin ipſæ omiſſis fortium laboribus
Heroum, ad aſtra laude quos merita efferunt,
Gaudent leonem extinguere pudicis vadis,
Propriiſque nuda membra fontibus lavant.
At tu, MENAGI, nunc quoque abditus ſtudes;
Nunc pervicaci paginas denſas manu
Volvis, revolvis, ſcribis, exſcribis, notas,
Meditaris, edis carmina, & totum quatis
Helicona: ſed quieſce, ſit ſtudiis modus;
Muſiſque ſaltem parce, ſi haud parcis tibi.

AD CALENUM.

Quod ſtudiis amœnioribus relictis, obſcuras genealogias ſcribere inſtituat.

P*Implæos ſolitus fontes & ſacra, CALENE,*
Et bijugi dulces montis obire choros;

Sic meruit, totum ſtudiis melioribus ævum
Qui dedit, innumeras pectore fudit opes:
Cujus adhuc noſtras mulcet concentibus aures,
Dum ferit argutam blanda Thalia Chelyn.
Non elegos melius Naſo, non ipſe Tibullus,
Nec magis exacta concinuere fide.
Quid memorem veterum docto emendata labore
Scriptorum innumeris tot monumenta locis?
Felix ille labor, per quem fœcunda revulſis
Pieridum melius ſentibus arva nitent.
Nunc mihi, Naſo, places; poſtquam tibi cura ſagacis
Heinſiadæ, antiquum rettulit omne decus.
Quàm juvat Andini, quale eſt mirata potenti
Roma ſub Auguſto, cernere vatis opus!
Ut Peluſiaci retinet me Muſa poëtæ,
Infernos grandi qui canit ore toros!
Ut meliore nitet vultu, utque triumphat eadem
Sub ferula veterem depoſuiſſe ſitum?
Heinſiadæ magnum gaudent præfigere nomen
Frontibus, & junctum ſemper habere ſuo.
At mores niveos, quamque officioſus in omnes
Vixerit, æquali quis ſatis ore ſonet?
Cui magis incorrupta fides, rectumque, pudorque
Conſtitit, & ſancta fœdus amicitiæ?
Hæc alii melius celebrent, tuque, optime GRÆVI,
Quo decet eloquio perſpicienda dabis:
Cui pius exequias Phœbus mandavit alumni:
Tu melius magnis manibus apta vides.
Felix Heinſiades, talem ſortitus amicum:
Ingenio vivet non minus ille tuo.
Non majus poterat quicquam præſtare ſepulto
Fortuna, hoc, Gravi, quod colis officio.
Nota viri virtus pridem omnibus: ut tamen illam
Certius agnoſcant, hæc tua cura facit.

CYNOGAMIA,
Sive
De Cratetis & Hipparches Amoribus.

AD ILLVSTRISSIMVM S. R. E. PRINCIPEM,
Ferdinandum Furſtenbergium, Epiſcopum Monaſterienſem.

QUò mihi cultorum, Virtus, rapis ardua mentes?
Tu res abjicere, & fundis migrare paternis
Magnum Aſcondiadem, Thebanæ gentis amores,
Et decus & columen juſſiſti, opibuſque relictis,
Te ſolam colere, & duros perferre labores.
Non tamen incaſſum, meritis aut præmia tantis
Nulla tulit; quem conjugio dignata ſuperbo eſt,
Te propter Cynico patiens ſervire marito
Hipparche; tales ſeclis da pandere tædas;
Ac mihi (quandoquidem tua ſunt hæc munera) cantus
Præcipe; ades votis, aderit quoque Phœbus, & omnes
Sponte ſua venient, te conciliante, Camœnæ.
Nec minùs his fautor cœptis, Numenque ſecundum
Eſſe velis, FERNANDE; ſequar veſtigia Vatum,
Qui tibi nunc latè aſſurgunt, moduloſque minores,
Plectraque ſubmittunt; Vatum quæ maxima turba eſt:
Tam docta ipſe facis felici carmina vena.
Huic turbæ aſcribi, numerumque augere tuorum
Fert animus; dicam veſtra decora inclyta gentis;
Dicam artes, educta altis monumenta latebris
Teutonicæ laudis, tot res caligine pulſa
In lucem per te aſſertas, primúmque retectas.
Interea dum cuncta animis proviſa revolvo,
Et meditor factis dignas tibi condere laudes;
Da mihi te facilem, tenues pro munere luſus
Mittenti; juvet his grandes diſſolvere curas.

Sic tua Amiſiades ſemper modulamina Nymphæ
Concelebrent, cingantque novis tua tempora ſertis;
Cæruleus vitreis tibi Luppia plaudat ab antris;
Quique alias Padera inter aquas cognomine terra
Exultans, fluctus urna propellit ovantes.
Nunc, quid priſca ferat memorandi fama magiſtri,
Expediam, placidas aures adverte canenti.
Hic quamquam natus Thebis, & in aëre craſſo,
Non tamen ingenio obſtiterant contagia cœli,
Nec tenuem Ogygio tardarat pondere ſenſum
Infelix patria: afflarat ſacer ardor ab alto
Naſcentem, ſuperaſque virûm tollebat ad arces.
Verùm alia obſtabant votis: huic grandis origo
Oſtendebat avos, quæ pace aut fortibus armis
Geſſiſſent, totum fama vulgata per orbem;
Et decus antiquum, & partos memorabat honores.
Ille igitur monumenta virûm cùm cerneret; & cùm
Majorum æterno ſpirantes marmore vultus,
Tunc quoque res gerere ardebat, ſeque artibus iiſdem
Tollere humo, & factis magnum ſibi quærere nomen:
Nec minùs obſtabant turpi quæ pectora luxu
Divitiæ frangunt molles, rebuſque caducis
Affigunt; latis exundans copia fundis,
Omnigenos largo fundebat ab ubere fœtus.
Et domus obſtabat Libycis operoſa columnis;
Quæcumque in procerum tectis ſpectacula vulgus
Miratur, procerùm ingentes teſtantia faſtus,
Non aberant; pulchra indutos teſtudine poſtes
Cernere erat, variis pictum laqueare figuris.
Talibus implicitum vinclis Fortuna tenebat:
Pugnabat tamen interdùm divellere nodos.
O quoties vana incerta ludibria ſortis
Et miſeras ploravit opes! poteratque videri
Evaſiſſe dolos dominæ pellacis; at idem

Rurſus

Rurſus in obſequium greſſu titubante relabens,
Mox recidiva jugo reddebat colla vetuſto.
Tandem vivida vis animi pervicit, ut omni
Fortunæ imperio excuſſo, ruptiſque catenis
Auderet meliora ſequi, vitæque prioris
Pertæſus, reliquum in ſtudiis conſumeret ævum.
Ac primum Cadmo regnatas linquere terras
Inſtituit: juvat Actæos inviſere colles,
Et quas armipotens Tritonia condidit arces.
Hoc quondam Sophia orta ſolo, regniſque beatis;
Mox etiam ſedem fixit, manſuraque ſacra,
Ingenium admirata loci, placidoſque receſſus:
Tum certos ſua qui totum ſecreta per orbem
Vulgarent, myſtas cœtu delegit ab omni
Doctorum, miroque ſui inflammavit amore.
O nati meliore ævo, verè aurea proles,
Qui tunc vivebant homines, queis fata dederunt
Ingentes poſſe Heroas, generiſque Magiſtros
Humani ſectari, & coram audire loquentes,
Speuſippumque & Ariſtotelem; Polemona, Platonem;
Socraticæ decora alta domus; regumque ſuperbis
Non ingratum aulis, nec inepta mente Sophiſtam;
Omnis quem rerum ſtatus, omnis ſemita vitæ,
Grandibus & decuit curis permiſta voluptas:
Quique puer primos caræ genitricis in ulnis,
Muſarum Sophiæque bibit cum lacte liquores.
His tum docta Crates adytis reſponſa petebat.
Sed nullum numero eſt tantùm miratus in illo,
Quantum olidam cui curva domum, tutoſque Penates
Teſta dedit, calicemque manus. Non ille remotas
Cœlicolum tentare domos, Titaniaque audax
Sidera; non alias Naturæ accedere partes,
Quas Deus involvit; rapidi, quo carcere venti
Erumpant, quo terra parens tremat excita pulſu;

M

Unde viçes pelagi, unde arcus qui nubila pingit.
Ridebat, ſi quis ſtudio hæc captaret inani
Naturæ ſecreta, hominum ſuperantia captum,
Quæque parum comperta juvent: ſed quid ſit honeſtum,
Quid rectum, quid non, diſcernere norat, & omnem
Diſcutere erroris nebulam, quæ plurima menti
Incubat humanæ, atque improvida pectora turbat.
Illum etiam validas arces, illum inclyta regum
Sceptra ſuper, magnæ tollentem numina mentis,
Pellæus ſtupuit juvenis: ſtudioſiùs ergo
Sectari hunc, unique Crates parere magiſtro:
Hujus ad exemplum domitos componere mores.
Hæc eadem virtus generoſæ cognita gentis
Impulerat patrias divinam linquere ſedes
Hipparchen: non hac præſtantior altera forma,
Aut animo major Theſeum venit in Aſtu;
Dulce jubar: Ciconum tellus jactabat alumnam;
Vitiferis celebrata jugis, & palmite tellus
Iſmario, nullamque magis coluiſſe Lyæus
Dicitur. Hinc furiæ, pollutaque cæde nefanda
Sacra Dei, & triſti damnatæ crimine matres.
Illic (ut perhibent) uxorem Oeagrius Orpheus
Extinctam, uſque imas fide lamentatus ad umbras,
Cùm Ditem & duros flexiſſet carmine Manes,
Non revocare tamen potuit. Hinc mœſtus opacos
Per lucos, expers thalami, & genus omne peroſus
Femineum, patrio lymphatas numine mentes
Impulit, & rabidum fato delapſus in agmen,
Immerito diros perfudit ſanguine vepres.
Hinc genus Hipparche ſumma de ſtirpe trahebat.
At non ut Threïſſa genus, ſic pectore mores
Imbibit Odryſios, Ciconumve infanda probavit
Orgia; naſcentem meliori aſpexerat æther
Lumine: vix primos aditus & læta juventæ

Oſtia pulſantem, placidæ ad ſua ſacra vocabant
Pierides, dulcique implebant pectora voto;
Jam lucos invitabant ſecedere in altos
Parnaſſi, & dulces Sophiæ decerpere fœtus.
Hinc clarum Hipparches nomen, latéque per omnes
Argivûm dilapſa domos, ſe fama ferebat:
Et certamen erat tali pro conjuge magnum,
Delectos inter juvenes, (idem omnibus ardor)
Res quibus ampla domi, ſimul & ſplendoris aviti
Conſcia nobilitas animos dabat: undique ad illam
Concurſus, ſemperque novis florentia ſertis
Limina: at illa diu dulces fugiens Hymenæos,
Femineo miſeros faſtu cruciabat amantes.
Sermones tantùm doctos audire Sophorum
Gaudebat, verique altam perrumpere nubem.
In quibus & magnum ſæpe eſt mirata Cratetem;
Jam notum Cynicæ gentis decus. Ille tremendas
Seu voces ductoris, & horrida juſſa ſecutus,
Seu virtus egreſſa modum, ſeu Numinis ardor
Ille fuit; ſive hunc rigidæ virtutis amorem
Telephus obtulerat, dum regno pulſus & exul
In ſcenam, vilique indutus prodit amictu,
Cumque gravi excuſſas gaudet diademate curas:
Qualem Cecropii dedit altera norma cothurni;
Fortunam ulciſci ſtatuit, faſtuſque priores.
Quippe agros poſtquam, & proſcriptas vendidit ædes,
Quodcunque hinc potuit corradi, fluctibus aurum
Dat tumidis, altoque abjectum gurgite condit:
Scilicet hoc metuit tardari pondere curſum.
Navita ſic pallens, quem motæ Aquilonibus undæ
Oppugnant, navem exonerat, merceſque profundo
Donat, & hoc redimit propiora pericula damno.
Jam pedibus Fortunam, & inexorabile Fatum
Pulſabat, jam totam in ſe converterat urbem

M ij

Indutus centone Crates, Cynicumque profeſſus:
Garrulaque innumeris factum memorabile linguis
Fama ibat vulgans, cùm cæli vertice Pallas
Acta repente volat, notaſque illabitur arces,
Nube latens: plateas, vicos & compita luſtrat:
Explorare libet, quæ ſit ſententia vulgi.
Ilicet hîc vario cuncti ſermone fremebant:
Pauci conſilium laudant, pars maxima tantum
Vix tribus Anticyris purgari poſſe furorem
Increpitat: quidam ante alios, cui nullus habendi
Parcendique modus, ſed inexaturata cupido.
Et maria & latas populabat fœnore terras.
Idem aliàs ſemper ſtudiis inimicus honeſtis,
Nec fuit in tota quiſquam petulantior urbe,
Inviſam dictis virtutem agitare ſuperbis:
In primis Cynicos odio inſanibat in omnes.
Hic tum veſanas mittebat pectore voces:
Tanta-ne felicis quenquam faſtidia vitæ
Percipiunt, amplas ut opes & gaudia linquens,
Amplecti Cynicam & quicquid fert turpis egeſtas,
Deſtinet? aut quenquam laudis tam dira cupido
Inceſſit, miſer ut vano virtutis amore
Eſſe velit? demens en quo ſapientia myſtam
Perpulit egregium, qui nunc (miſerabile dictu)
Eſurit, & totam pannoſus obambulat urbem.
Scilicet hæc frontis gravitas quæſita ſeveræ,
Hirſutumque ſupercilium, promiſſaque barba
Præſidio eſt? ſaturum aut vacuas tranſmiſſa per aures
Reddere verba queunt? quid enim juvat indiga virtus
Quos Fortuna premit? quid inani perſona plauſu
Porticus, aut ſteriles pandens Academia ſilvas,
Quos fugit alma Ceres, & fracto copia cornu?
An rabidum doctæ ſaturent Eriſichthona chartæ?
O miſeri! quibus in vili ſpes unica perâ.

Quæ vos exercent averſi Numinis iræ?
Quæ Furiæ exagitant ſcelerum? quæ vexat Erinnys?
Ite procul, monſtris ſat longum immanibus urbem
Terretis; procul hinc fauſtis abſiſtite regnis.
Talia vociferans cæco loca cuncta tumultu
Miſcebat, pronumque nimis convicia vulgus
Fundere, ad omne nefas lingua petulante vocabat.
Parte alia tendunt proceres, mœſtique propinqui
Compellare virum, ſi poſſint flectere mentem;
Flectere ſed nequeunt; manet ille immotus, ut alto
Circumfuſa mari rupes, quam rauca ſonantes
Impellunt fluctus, & ſpumea verberat unda;
Illa autem ſtat mole ſua, frangitque procellas.
At non has immota videt, Tritonia turbas:
Sed graviter vulgi motum indignata profani;
Hæc ſecum: Me ne hos populi perferre furores,
Et conjuratos iterum in mea regna tumultus?
Nempe eadem vis cæca, meos mihi nuper amores
Abſtulit egregium præſtanti pectore civem,
Quo nullum inventis majorem priſca tulerunt
Secula, nec ventura ferent: nunc crimine falſo
Oppreſſus jacet invidiæ fatalis iniquæ
Victima, meque orbam properata morte reliquit.
Aſt alii, miſeranda manus, pelluntur ab urbe,
Et procul externis ignoti in gentibus errant;
Aut ſoli incultis agitant in montibus ævum.
Ecquis erit tandem modus, ecquæ meta laborum?
Siccine ſemper humi virtus deſpecta jacebit?
Semper inops, ſemper mille exagitata ſuperbis
Opprobriis, ignominiam triſteſque repulſas
Sperata pro laude feret, meritiſque trophæis?
Non ita: namque etſi caſus ſe ſe ardua ſupra
Erigit humanos, nec inania murmura curat,
Non plauſum, non ulla foris ſolatia quærit.

Non tamen egregium patiar ſic vindice nullo
Indecorem ire virum, aut ſtolida convicia turbæ
Rumoreſque malos nulla mercede refelli;
Immo aliud Cynico meditor dare munus, apertè
Quod juvet, & vulgi valeat percellere ſenſus.
Stat magno pulchram Hipparchen donare Crateti
Uxorem; ferat hoc munus ſapientia, majus
Quo nullum ipſa ſuis tribuat fortuna miniſtris;
Tantum virginis eximio decus emicat ore.
Sed quæ difficilem ſolvet mihi machina nodum?
Par utrinque labor: hæc aſpernetur amantem;
Ille toros, Cynicæ nec ſunt connubia ſectæ
Apta viris: gens dura, exlex, aſperrima victu,
Nulla domus, res nulla vagantibus, unica cordi
Libertas, ſtudium captivos mittere ſenſus
Virtuti, Fortunæ omnes contemnere motus,
Et vitia arguere, & vulgus mordere profanum.
Quid refert, modò ament inter ſe, & fœdera jungant?
Omnia vincit amor; certè ſuperare Magiſtrum
Hic poterit; domitam Hipparches ſibi ſubdere mentem.
Exorandus amor; ſuper omnia mater amorum
Prenſanda, ut faveat cœptis, & vota ſecundet.
Talia ſollicito ſecum Dea corde volutans,
Deſerit Actæis impoſtas montibus arces,
Cypron adit. Venerem tellus hæc prima ſub auras
Naſcentem excepit, pelagi cum gurgite ſacros
Eduxit vultus; Veneri nec gratior ulla
Orbe fuit toto: hîc magnæ incunabula Divæ,
Hic currus fuit, hîc populos, & mœnia, & arces;
Idaliumque Paphumq; & fœtam Amathunta metallis,
Centum habuit delubra; has tum regina per urbes
Incedens, ſolitum in templis capiebat honorem.
Quò poſtquam rapido acceſſit Tritonia curru,
Protinus affatur: Quod nunquam credere quivi

Contigit, has, Cytherea, domos, hæc limina ſupplex
Ut peterem, vellemque tuis ſuccedere regnis;
Luxus ubi nimiùm, & teneri dominantur Amores,
Unde fugit Virtus: liceat mihi vera fateri,
Ni me res dura ancipitem, caſuſque meorum
Urgeret, nunquam greſſus huc ſponte tuliſſem.
Verùm eadem tibi ſi prôſunt, quæ commoda nobis,
Non facere indocti eſt animi, & ratione carentis.
Accipe, parva mora eſt, animumque adverte docenti.
Ogygia de gente Crates, generoſa propago
Aſcondi, nuper noſtras conceſſit Athenas,
Formandæ documenta petens certiſſima vitæ.
Illum indefeſſa quærentem indagine veri
Deprenſos paucis calles, atque invia luſtra,
Non ulla potuere vices avertere rerum,
Non ullis blanda illecebris retinere Voluptas.
Quid plura? attonitis non agnoſcendus amicis;
Per plateas turpi mendicùm in veſte vagatur,
Qui modò dives erat: fortunas ardua Virtus
Impulit abjicere, & duros præferre labores.
Ipſe inopem Cynicos inter traducere vitam
Inſtituit. Da, Diva, decus; da præmia tanto
Digna viro, thalamos, & primas annue tædas.
Jam ſenior, juvenes ipſos fac vincat, & ipſam
Hipparchen, quæ rara ſui nunc gloria ſæcli
Incedit, mille illecebris mille urit amantes,
Virtutis trahat illecebris, ducatque volentem.
Sic opus eſt, ut cum rudis ignorantia vulgi,
Cujus nunc patet ille jocis, (proh dedecus ævi!)
Talia comperiet Cynico ceſſiſſe magiſtro
Præmia, Virtutem indignis inceſſere verbis
Deſinat, & meritos poſthac perſolvat honores.
Te quoque facti ingens extollet fama per ævum;
Audiet hoc Orbis, venturaque ſæcula dicent

Te præbente faces, & dulcia vincla, Cratetem
Admotum Hipparches thalamis; potuiſſe puellæ
Sic captam ancipiti mentem mutare veneno,
Protinus ut luxum, faſtuſque oblita priores,
Et proavos; Cynici amplexus, duramque capeſſat
Pauperiem. Quanquam, ſolo Virtutis amore
Femineum haud duci conſtat genus: at tibi mentes
Quo viſum eſt, flectendi omnis conceſſa poteſtas.
Quæ tanta invadens animos hominumque Deûmque
Perturbare queat triſti diſcordia motu,
Ut non protendant faciles in fœdera dextras
Imperiis, Cytherea, tuis? Te corda movente,
Omnia junget amor; fulvos armenta leones
Non metuent, tenerumque lupus defendet ovile.
Ergo age quas poſco tædas, ſolatia tanto
Parva viro, magni ſed quæ mihi muneris inſtar
Semper erunt, concede: Deûm mihi teſtis adeſto
Regnator, totum nutu qui concutit orbem,
Quod meriti nobis non unquam gratia tanti
Excidet: atque adeo, ſi non averſa voluntas,
Jam nunc æternam præſenti pignore pacem
Inter nos & amicitiam firmare licebit,
Et cupio. Dixit, factoque hîc fine loquendi,
Subridens Venus, hæc placido ſic reddidit ore:
Quis genus Aſcóndi, aut generis, Tritonia, laudes
Ignorat? Quis tam ſtudiis inimicus honeſtis,
Virtutem ut tantam cunctis ornare recuſet
Muneribus, meritoſque viro perſolvere honores?
Me quanquam teneri ſemper comitantur Amores?
Me dominam agnoſcunt Charites molliſque Voluptas
Imperiis famulata meis, hominesſque deoſque
Mollibus implicitos vinclis mea ſub juga ducit,
Et variis totum illecebris mihi ſubjicit Orbem;
Non tamen egregiis rebus, famave virorum

Non moveor : neque formoſas , ut rere puellas
Ingenium , mollemve fugit ſapientia ſexum :
Si vires Natura negat, duroſque labores ;
Non tamen & dociles animos , verique capaces ;
Nec tantos mihi finge metus ; non pauca referre
Poſſim exempla tibi doctarum : ſed modò pulchra
Sit ſatis Hipparche , quam nunc ſociare Crateti ,
Diva , paras : viden' ut dictis intenta Sophorum ,
Ut doctas captet voces , ut pectore condat ;
Ut colat ante omnes admireturque Cratetem ?
Nec tamen hanc Cynico promptum eſt junxiſſe marito
Formoſam , proavoſque duces , & nomina magna
Jactantem : citiùs concordi pace fugaces
Miſcueris canibus damas , àquiliſve columbas.
Sed jungam , hoc à me munus , Tritonia, habeto.
Ne dubita : quòdcumque optas , tibi protinus omne
Perficiam : nec ſperno , offers quam jungere dextram ,
Ecquis amicitiam demens , aut tanta recuſet
Fœdera , & armatæ malit concurrere Divæ?
Immo , hæc ut quanti faciam tua fœdera , noris ;
Majus opus meditor, ſponte ut formoſa maritum
Ambiat Hipparche ; hunc oculis , hunc pectore toto
Flagitet, & Cynici ducis intabeſcat amore.
Sic fata amplexum læta Cytherea petivit
Pallados : inde novas animum convertit ad artes ;
Queis mentem Hipparches ſubigat : diverſa moventi
Conſilia , hæc tandem potior ſententia ſedit :
Ut Cynici vocem ſibi ſumat & ora Cupido
Et cultum, talique aggreſſus fraude puellam ,
Irrepat venis , atque oſſibus implicet ignem.
Sopitum interea ſecretis ipſa recondit
Sedibus , & molli circundat nube magiſtrum.
Scilicet egregium ſubito ne rumpere ludum
Occurſu poſſit , fraudemque aperire jocoſam.

Paret Amor matri, ac primùm pharetramq; facemq;
Arcumque, & pictas plumis variantibus alas,
Exuit; impubes ſetis horrentibus artus
Aſperat, ingentem demittit pectore barbam:
Cæteraque induitur Cynicæ ornamenta catervæ;
Centonem, peramque; auget quoque tubere dorſum;
Et tereti incumbens baculo veſtigia firmat.
Hoc habitu notas Hipparches tendit in ædes.
Sponte ſua patuere fores: ille impiger altis
Infert ſe tectis, quem protinus inſcia virgo
Excipit intrantem, & pulchro locat ipſa ſedili.
Quiſquis adeſt linguam compeſcit, & arrigit aures.
Ille docet genus unde hominum, & quæ numinis ira
Concilio divûm & melioribus exulet oris;
Et terra obductas habitet caligine terras.
Divinum noſtris oſtendit ineſſe vigorem
Mentibus, ætherio demiſſum ſemen Olympo,
Qualis flammiferos aſtrorum concitat orbes
Spiritus, & rapida impellit vertigine mundum.
Hunc autem quà ſe manes declinat ad imos,
Terrigenas amplexum artus, moribundaque membra,
Pondere tardari: hinc varias inoleſcere peſtes,
Dum ſegni impatiens animus ſub mole laborat,
Huc illuc ſeſe verſans in carcere cæco.
Tum variis agitur curis, & inania rerum
Perſequitur ſimulacra, & tenues appetit umbras;
Qualia ſopitis mittit ludibria Morpheus.
Hinc naſci ancipites humani pectoris æſtus;
Hinc varias ſcelerum facies, tot bella per orbem;
Tot fraudes, quibus ad ſummos graſſatur honores
Ambitio effrænis; quibus & fœcunda malorum
Mater avaritia, immanem quos vexat, habendi
Exaturare famem cogit: ſuper omnia luxum
Caſtigat; validas olim quot verterit arces,

Oppida quot; quàm ſit rationi infeſta libido,
Differit; ipſe ſuas artes, ſua gaudia damnat:
Ipſe modum, oppoſitamque ſibi ſuper æthera tollit
Virtutem, duros aditus, pendentia monſtrat
Deſerta, & placitum paucis conſcendere montem
Hortatur; fictis paulatim incauta movetur
Vocibus Hipparche, & cæcos bibit auribus ignes.
Ac primùm ſolo captam ſe laudis amore
Non dubitat, necdum ulla animis connubia virgo
Præcipit, aut Cynico ſe nubere poſſe marito:
Quodque illum cupidè affaturque auditque viciſſim,
Quod ſtupet, effuſiſque in cœlum laudibus effert,
Non laudare nefas magnum putat eſſe Cratetem.
Miratur magnam mentem, conſultaque veri
Pectora, & immotas altæ rationis habenas,
Erectumque ſupercilium, nutumque magiſtri,
Verbaque Cirrhæis Phœbi quæ prodita ab antris
Ceu reſponſa probat, pendetque docentis ab ore.
Aſt ubi flamma Dei totos illapſa per artus,
Altiùs internas penetravit ad uſque medullas,
Et ſolitos penitus dimovit pectore ſenſus;
Tunc illi pulcherque Crates, majorque videri
Incipit, illum abſens, animo noctesque dieſque
Infixum videt atque audit, nec tubere curvum
Jam dorſum offendit, non duris obſita ſetis
Brachia, quæque ſeges mento riget horrida barba;
Hæc amat, indiciumque animi putat eſſe virilis.
Vix alium affari jam ſuſtinet, inde priores
Aſpernata procos, ſic ſævis denique verbis
Summovet: O fruſtra rebus ſublata ſecundis
Infelix pubes, quæ vos dementia adegit,
Deſidiam luxumque ſequi virtute relicta;
Et ſperare tamen vanis me poſſe moveri
Obſequiis? unde hæc veſtras fiducia mentes

Erigit, & miſeros ſpes improba lactat amantes?
An quia Cecropidum antiqua de ſtirpe creatis,
Fulva comam tereti diſtinguit dente cicada;
Multa domi ſuperant auri congeſta talenta,
Me facilem captu ſperatis, jamque paratam
Retia veſtra ſequi, & thalamos inhiare potentes?
At non his capitur nugis, neque moribus iſtis
Hipparche: titulos & iniqua pondera lamnæ
Nil moror; indoctum miretur talia vulgus;
Quæ faciunt hominem mores, pectuſque requiro.
Ite igitur, veſtros aliis portate furores.
Nunc me captivam decus immortale Sophorum
Veridico tenet ore Crates: hic dignus amari,
Hic potuit ſolus me flectere, ſolus habebit,
Nec me alius mutabit amor: non ſi mihi Reges
Det Fortuna procos, mea qui connubia poſcant;
Huic Reges Cynico anteferam: regit omnia virtus;
Rex erit ille mihi, virtus quem ſola coronat.
Talia non ſolito narrantem more, ſuique
Oblitam, cœlo dudum miſeratur ab alto
Pallas, Acidaliique agnoſcit præpetis artes;
Miraturque dolis tantum potuiſſe, repente
Omnem ut virgineo deterſerit ore ruborem.
Jam dolet in miſeram magnum inſtigaſſe puellam
Numen, & infixos ſi poſſit protinus ignes
Reſtinguat; ſed quis reſtinguere poſſit amoris
Fixas corde faces, tantumque inhibere furorem?
Nec tamen uſque adeò incenſam rapit igne Cupido
Hipparchen, ut non votis formidine pugnet,
Interdum; ne impar cœptis, nec viribus æquis
Durum tendat opus, ſociam neve ipſe magiſter
Abnuat: inſolitæ terret virtutis imago;
Monſtrati terrent ſcopuli, creberque ruinis
Clivus, inacceſſiſque arcent juga confraga ſilvis.

Non tamen abſiſtit, tanto ſed cardine rerum
Spemque, metumque inter pendet, diverſaque fertur.
Ceu turbo, quem dextra rotat puerilis, habenis
Sollicitans, varios alternantem orbibus orbes.
Nam modò ſe tecti includit penetralibus imis,
Nunc altos nemorum petit incomitata receſſus;
Suadet amor, ſuadent nemorum alta ſilentia curæ.
Illic clauſa umbris, ſic ſecum pectoris ægri
Diſputat ambages, & tali volvitur æſtu:
Nam quis me novus ardor, ait, quæ dira cupido
Icarias jubet ire vias, & nubila pennis
Impermiſſa ſequi, tutaſque relinquere terras?
Eſt aliquid celſam ſupra mortalia mentem
Erigere, atque humiles vulgi contemnere curas.
Eſto. Sed vitæ ſunt abjicienda prioris
Pignora cuncta, carendum opibus, dulcique parentum
Conſpectu; potero tantum perferre dolorem?
Felices, ſolita exercent quas penſa puellæ,
Quas colus & placida tecti carpenda ſub umbra
Lana tenet, tereti torquentes vellera fuſo.
Has juvat ipſe labor, nulliſque objecta procellis,
Tutior obſcuro decurrit tramite vita:
Me virtus, grandeſque trahunt in devia curæ.
Ille idem mea qui labefecit pectora dictis,
Aſſiduè movet arma Crates, gremioque parentum
Avulſam, jubet ignotos inſiſtere calles.
Me miſeram! cur non poſſum veſtigia tanti
Obſervata ſequi ducis, & tam pulchra ſequendo
Facta referre decus? Sed enim natura repugnat,
Mollia nec tantas capiunt præcordia laudes.
Non tamen Aſpaſiæ memorant nocuiſſe, quod eſſet
Femina, non, Teleſilla, tibi, aut tibi, pulchra Theano:
Quaſque alias magno incenſas Virtutis amore

Imbelles ſpreviſſe colos, & penſa Minervæ
Fama refert, aliaque animum excoluiſſe Minerva.
Quin etiam (nec vana fides) Teleſilla ſuperbos
Creditur Argivûm pepuliſſe à mœnibus hoſtes.
Auſa quoque Aſſyrias pharetrata Semiramis arces
Affectare, Deoſque auſis experta ſecundos
Protulit imperium, totoque oriente ſubacto,
Facta virûm & ſummos bellando æquavit honores.
Femineæ ſi bella manus, ſi prælia poſſunt
Dura pati, quidni & reliquas attingere partes
Virtutis, caſuſque omnes ſuperare ferendo?
Tuque, invicte Crates, audenti fortia, præſens
Ipſe miniſtrabis vires: quæ obſtacula rerum,
Quæ loca, quos metuam tanto ſub teſte labores?
Te duce Caucaſeas poſſim tranſcendere cautes,
Riphæas pedibus nudis calcare pruinas;
Te duce quas flammis propioribus urit arenas
Ignivomus Titan poſſim luſtrare, nec æſtus,
Aut Libycos metuam per inhoſpita teſqua leones.
Tu modo pande viam cœptis, curſumque ſecunda:
Neve tibi ſociare toro aſpernere puellam
Unanimem, cupidamque tui, & tua fata ſequentem.
Hæc tunc Hipparche ſecum: mox ipſa magiſtro
Ferre admiranti haud dubitat, coramque pudore
Suſtinet excuſſo tædas ambire jugales.
Haud aliter quas feſta vocant trieterica Bacchi,
Acris ubi buxus ſignum dedit, avia matres
Oblitæ ſexus, nemorum per luſtra feruntur.
Quo decus heu! quove illecebræ fugere priores?
Quæ facies nova, quàm ſubitò mutata, ſuique
Diſſimilis? non jam quo formam illuſtret amictu,
Quove lepore magis, curat; non vertice picto
Orbibus innumeris flexos glomerare corymbos,
Pallenteſque polire genas; non gurgite lectas

Eoo, teretes collo circundare baccas:
Non tenerum Aſſyrio perfundere corpus amomo.
Omnia formoſis nimium exoptata puellis
Abjicit; una animum Virtutis cura remordet:
Jam peram, cœnamque Hecates; jam pallia trita,
Et tegetem; baculum, jam cogitat, inque verendi
Et cultum & mores geſtit tranſire magiſtri.
Nec quiſquam prohibere poteſt: ceſſere parentes
Conati fruſtra; dant ipſa obſtacula vires,
Inſtigantque animum abducta in contraria habena.
Ceu preſſa obicibus furit unda, & ſaxea circum
Clauſtra fremit; Siculis aut ſubterranea flamma
Immugit ſcopulis, rupeſque ad ſidera jactat.
Quinetiam ſibi triſte nefas, crudele minatur
Supplicium, ſi ſpes thalami fruſtretur amantem.
At genitor caſu gnatæ concuſſus acerbo,
Infelix genitor, mœſtos cum conjuge cara
Dat gemitus, ceu lux fati ſuprema repoſcat
Hipparchen: triſtes deturpat pulvere canos.
Flebilis hinc mater ſparſos laniata capillos
Bacchatur, capta nec virgine, mitiùs ardet,
Quàm raptis catulis furit urſa, Hircanave tigris;
Et Cynicos, ſectamque & cunctas devovet artes.
Tune etiam miſeræ ſpes, inquit, & una ſenectæ,
Gnata, meæ requies, ſola & ſuprema voluptas,
Eripiare mihi? ſat nondum experta malorum,
Pœnarum ſatis exolvi, quod nuper ademptus
Metrocles frater, noſtræ ſpes altera gentis,
Infando ſectæ ejuſdem deceptus amore,
Exuit affectus omnes, vincla omnia rupit?
Et nunc ille urbis vicos & compita luſtrat
Nudus, inops, victumque petit (proh dira meorum
Supplicia!) & turpi regerit convicia vulgo.
Tene hæc monſtra ſequi, tu ſexum exuta pudendo

Adſcribere gregi, Cynicique vocaberis uxor?
Nonne fuit ſatius, ſi talia fata manebant,
Me nullos iniiſſe toros, ſpretiſque hymenaeis,
Dictynnæ comites inter traducere vitam
In ſilvis, ſacrumque Deæ ſervare pudorem?
Heu Cynicis fœcunda fui! Tu, Summe Deorum,
Averte, aut trifido hanc animam, Pater, eripe telo;
Vel mihi Terra, precor, potiùs miſerata dehiſce,
Talia quàm generis noſtri ludibria cernam.
Sic fatam, & nimio media inter verba dolore
Collapſam, ancillæ referunt in tecta frequentes.
Quod pater ut vidit, varios ſub pectore motus
Perſentit, parteſque animum diſtractus in omnes,
Æſtuat: hinc miſeras tandem (hæc ſpes una ſalutis)
Confugit ad lacrymas, obteſtaturque Cratetem,
Ut tali cœpto inſontem deducere alumnam
Experiatur, & infandum miſeratus amorem,
Quos ipſe accendit, veſanos comprimat ignes.
Nec ſatus Aſcondo votis parere recuſat,
Commotus gemitu tanto precibuſque parentum;
Inſolitos ſimul admirans in virgine motus;
Nec caret ipſe metu, quò ſe hæc connubia vertant:
Quippe timet ſexu audentem majora puellam,
Et varium ſemper genus, impatienſque laborum,
Ne citiùs placito decedat calle, locumque
Deſerat, aut nimio ſub pondere victa fatiſcat;
Stat tenerum monitis animum tentare ſeveris.
Hanc ergo ut primùm nactus, paulùm agmine fido
Secretam, & ſolitas volventem pectore curas,
Protinus invadit, trepidamque his vocibus ultro
Increpat: infelix quis te malus abripit error?
Nec quæ te maneant exinde incommoda cernis,
Imprudens! tu delicias oblita priores,
Æqualeſque choros, epulas, ſpectacula, luſus,
Diſſimilem

Diſſimilem poteris mecum traducere vitam?
Tu pannos, tegetemque pati? non te horrida ſciſſo
Tegmine, concretiſque comis terrebit egeſtas?
Non ſecta inclemens, & ſpinis obſita virtus?
Tu quum bruma nives Actæis illinet agris,
Et glacialis hiems curſum frænabit aquarum,
Excipies rapidos malè tecto corpore ventos?
Porticibus ne jacens, nudove ſub ætheris axe
Sæpe feres gelidam noctem, aut quocunque ſub antro?
Parva loquor: poteris ſedato pectore ineptos
Vulgi ferre jocos? tu limina nota potentum
Pulſare, & faſtus juvenum tolerare ſuperbos?
Qui tua nunc omni nequeunt faſtidia cultu
Expugnare, aut indomitam prece flectere mentem.
Quid ſis nata, vide: pauci quos æquus amavit
Juppiter, hanc potuere viri contingere palmam;
Tu poteris? fac poſſe. at te nil obſitus ævo
Qui revocat genitor, nil quæ dedit ubera mater,
Non ulla inflectet pietas? miſerere parentum,
Quos niſi crudeli incœpto deſiſtis, acerbo
Præcipitas luctu, & cogis deſcendere ad umbras.
Hoſne ſines triſti propter te occumbere letho;
Qui genuere, quibus vitam, & ſi carius ipſa
Eſt aliquid vita, debes? ah Numina tantum
Errorem avertant: hos ſerva, hoc ardua primum
Quam petis, officium virtus, munuſque tuendum
Imperat, has Natura vices clamore repoſcit;
Hanc audi, queſtus audi, gemituſque tuorum:
Si qua tibi & pietas ſupereſt, hanc exue mentem,
Dum licet, admiſſaſque retro convertere habenas.

Talibus Hipparchen monitis in jura parentum
Et leges, Aſcondiades revocare laborat;
Nec contentus eo, deponit pallia, gibbumque
Extantem dorſo nudans, hæc inſuper addit:

En tibi, quem ſpreta tenerorum pube procorum,
Inſignem forma, & florentem ſcilicet annis
Eligis. hinc peram, & baculum, tritamque lacernam
Oſtendens; hic, ait, cenſus, hæc tota ſupellex.
Verùm ubi nec precibus locus eſt, nulliſque parentum
Lamentis, potis eſt pietas inflectere mentem
Hipparches: non ipſe Crates rationibus ullis
Abſterrere poteſt; cœptis hanc denique in iiſdem
Immotam perſtare videt, ſeſeque jubentem
Ducere quò vellet; tum blandas pectore toto
Sentit & ipſe faces, ſimilique cupidine captus
(Nec prohibet virtus) dextramque fidemque petenti
Dat tandem, ſuprema tori nec pignora differt.
Porticus ampla fuit, pictis variata figuris,
Dum res Grajugenum & Virtus antiqua maneret,
Arte Polygnoti excultam, donoque magiſtri
Quam referunt, gratis qui res ibi gentis Achææ
Pinxerat egregias, ſolo contentus honore:
Nunc nulla eſt, vix & nomen fortuna reliquit.
Oeneas ibi primum arces & mœnia propter,
Agmina Cecropidum, Lacedæmoniæque phalanges
Depictæ: veras acies, vera arma putares,
Ferratamque virûm è galeis erumpere lucem.
Illi in procinctu ſtabant, jamque undique pugnæ
Intentis, major belli apparebat imago.
Parte alia Antiope motis furibunda catervis
Ibat in Ægidem, hic in Amazonas; acer utrinque
Conflictus, ſummo rerum in diſcrimine Pallas
Exhortata viros, haſtaque & Gorgone ſæva
Threïcias vertebat opes, ſtragemque cruentam
Edebat, toto plangebat gurgite victas
Thermodon, tepido fumabant ſanguine ripæ.
Illic Inachioſque duces & funera Trojæ
Cernere erat, captas matres, manibuſque revinctis

Caſſandram Ajacis tentoria nota petentem ;
Et Priami ſpolia Argivis impoſta carinis.
Illic & pictor (facinus memorabile gentis
Actææ) verſo fugientes agmine Perſas
Fecerat ; & poſitis lætum Marathona trophæis :
Cecropioſque duces ; & in his poſt inclyta facta,
Æſchylon Aonias repetentem à Marte ſorores.
Tales porticus illa dabat ſpectare labores.
Unde illi nomen Variæ ; nec pulchra minorem
Huic famam ſtudia addebant , cœtuſque docentum.
Hinc exaudiri lites , iræque Sophorum ,
Inter ſe adverſis miſcentum prælia linguis :
Hinc juvenum plauſus : huc tota ex urbe juventus
Confluere, argutas ſermonum obitura palæſtras.
Hanc petit egregia Cynicus cum conjuge ſedem.
Nec ſaltem expectat , dum ſe nox humida ab antris
Extulerit , ſolitaſque polo diffuderit umbras.
Devenere locum : ipſe prior centone magiſter
Subſtrato procumbit ; at illi haud tarda jacenti
Addit ſe pariter firmato pectore conjux ,
Nil turbam verita adſtantem, plenaque micantem
Luce diem, cupidiſque virum circumligat ulnis
Arctiùs , ac ſocias adſtringit pampinus ulmos.
Idæo qualis procumbens vertice Juno ,
(Si fas Mortales magnis componere Divis)
Cælicolum eſt amplexa patrem , cui protinus omnes
Almo terra ſinu veris ſummiſit honores ,
Læta toris ; quicquid blandum ſpirante marito
Diva potens florum cultis meditatur in hortis.
Credere quis poſſet , niſi ſit pro teſte vetuſtas ,
Nullum in legitimis Cynicos tenuiſſe pudorem ;
Et quæ fert natura , omnes fieri neceſſe eſt
Per terras , geſſiſſe palam ? ſic omnia fatis
Mixta , nec in ſtudiis hominum , aut virtutibus ipſis ,

Sincerum quicquam eſt, omnique ex parte beatum.
At Pallas (tædis aderat nam pronuba Pallas)
Nube cava, ne quis junctos ſpectaret amantes,
Velavit ſecreta tori, vulgique profanos
Præſentis, ſacra amovit caligine viſus.
Fortunati ambo: non vos malè ſuada libido,
Aut ſolitis Venus illecebris, non omnibus arca
Cypridos illecebris, Paphioque potentior arcu,
Mutua ſed virtus potiori fœdere junxit.
Non aliter prima naſcentis origine mundi
Crediderim ſanxiſſe toros, quos extulit ætas
Aurea, cùm tenerum regnans Aſtræa per orbem
Iura daret populis ſine judice; perfida nec dum
Lena (nefas) thalamos & dulcia venderet auro
Oſcula. tunc homines animorum pignore ſolo
Contenti, in ſilvis, in montibus, in ſpeluncis
Secretis, Dryadum ante oculos connubia inibant.
Si non eſt auditus Hymen in limine veſtro,
Culta nec appenſis ſignum dedit alta corollis
Ianua, nec juvenum aut matrum plaudente caterva
Ebria deduxit ſponſam tibicina ad aras:
Non infinito domus ambitioſa paratu
Excepit, veterem effundens in gaudia cenſum:
Non variæ in menſas, terris pelagoque petitæ
Confluxere dapes, hilarem nec concava Bacchum
Gemma dedit, Parthiſve focis excocta ſupellex.
Aut inſtrata toro Tyrios bis pota cruores
Purpura, dente ſuper Libyco Melibœa pependit;
At bona libertas, omni pretioſior auro,
Adfuit: at ſolis virtus quam donat alumnis,
Frons ſemper placida, & mentis tranquilla ſerenæ
Temperies, nullis curarum agitabilis undis:
At manſura fides thalami, caſtumque cubile,
Et nunquam implacidos Zeli ſenſura tumultus

Pectora, nec luxu mergente hebetata voluptas.
Unum reſtabat poſt connubialia vincla,
Ignibus offenſos veſtris placare parentes:
Id quoque crediderim factum, veniamque dediſſe
Nexibus, ac tandem nota intra tecta vocatos,
Matris in amplexu Hipparchen, ſocerique Cratetem
Hæſiſſe, alternoſque diu implicuiſſe lacertos.
Hactenus inſolitos formoſæ virginis ignes,
Mirandoſque toros dixiſſe, animumque virilem;
Utque maritali porrexerit ora capiſtro
Victus amore Crates, tulerit que jugalia vincla,
Sit ſatis. Aſt alii memorent quæ digna relatu
Geſſere: ille quidem ut victam pacaverit urbem
Tandem & veridico pendentem traxerit ore:
Viderit & populos plauſu ſua dicta ſequentes.
Ut deinde irrumpens vicos patefacta per omnes
Limina, ibi caros inter ſi fortè propinquos
Conſorteſve tori incideret diſcordia demens,
Mulceret dictis animos, patribuſque vocatis
Tempeſtiva daret monita, hinc quoque nomen adeptus,
Quod nulla officiis tantis non tecta paterent.
Idem etiam arbitriis ortas componere lites
Ut ſolitus, curaſque hominum miſeratus inanes,
Ferret opem, & cunctis mox præſens numen adeſſet.
Hæc autem Cynicæ quam fortiter aſpera ſectæ
Pertulerit, cultumque ab ſe projecerit omnem
Aſſuetum & vitæ cuncta ornamenta prioris.
Quàm ſapiens poſtremò evaſerit: utque mariti
Æmula præcipuas facili comprenderit artes
Ingenio; utque ſagax tenues diſſolvere nodos
Sermonum, & quicquid deludit imagine veri,
Impia vaniloquis obſtruxerit ora Sophiſtis.
Ad ſummum quantos ambo exhauſere labores,
Dum ritu Alcidæ vitiorum elidere monſtra

Infandaſque animi peſtes extinguere certant.
Hæc utinam vates totum benefacta per orbem
Concelebrent, fremituſque tuos, Gradive, relinquant.
Nam quis tantus amor ſecreta colentibus antra
Muſarum, ſtrepituque procul ſemota profano
Otia, funeſtos bellorum dicere motus,
Prælia ſola loqui, vaniſque accendere Martem
Laudibus, & rabidas cantu inſtigare catervas?
O tandem ingentes Sophiæ percurrere campos
Aſſueſcant, & in his potiorum antiqua Sophorum
Inventa, & doctis naturam pandere dictis,
Muſa quibus mentem majorem ad grandia cœpta
Inſpirat, viridique innectit tempora lauro.

GILBERTUS,

Sive,

DE PYXIDE NAUTICA.

MAgnanimos inter proceres, quos Græcia jactat
Ingenuas vitam magis excoluiſſe per artes:
Primus amor Superûm, ſi vera eſt fama, Thaletis
Sublimem ætherio mentem ſuſpendit Olympo.
Ille rates ventis actas miſeratus in alto,
Incertaſque viæ, ſupremo in vertice mundi,
Qui regerent curſus, nautis popularibus ignes
Oſtendit, Cynoſura, tuos: cælumque tueri
Juſſit, & hoc timidas firmavit fœdere puppes.
At non Herculeæ vires deprendere cautis
Evaluit, quibus ad ſeptem ſe ſponte triones
Convertit: ceu viſum illi natura dediſſet,
Quo varios mundi tractus, affixaque cælo
Sidera, & æternos poſſet ſpectare labores.

Primus Goïades, quo pulchra ſuperbit alumno
Parthenope, inventi talis ſortitus honorem,
Protulit in lucem, à quo omnis quæ deinde ſecuta eſt
Poſteritas tulit, & communem traxit in uſum.
Sic Deus æquoreæ divinam pyxidis artem
Gentibus oſtendit: quovis ut tempore poſſint
Scire polum, & latos Nerei tranſmittere campos.
Nunc Iove ſub gelido vigilantem in puppe magiſtrum
Non opus eſt tetrici fulgentia plauſtra Bootæ;
Et geminas arctos, nitidumque Orionis enſem;
Obſervare oculis, & in æthera tendere vultus.
Nec quum denſa Notus prætendit nubila cælo,
Eripuitque polum, cæcis Palinurus in umbris
Hæret inops animi, perque undas avius errat:
Aut medio immotam pelago tenet anchora puppim:
Dum fœdum melior nebulis purgaverit axem
Spiritus, & triſtem cælo dimoverit umbram.
Namque ubi traxit actus magnete afflata potenti
Vim cæcam, frictuque hauſit contagia ferrum:
Tunc ſentire polum, & mundi diſcernere tractus
Incipit; & certa moderatur cuſpide puppes.
Afflatus docet aſtra chalybs: unde ortus opacas
Ventus agat nubes; & quos det in æquore curſus.
Arte ſua monſtrante viam, nunc omnia nautæ
Perrumpunt maria audaces, & pyxide freti
Victores toto pandunt ſua carbaſa mundo.
Inclyta telluris ſoboles pretioſior auro;
Dic lapis: quo nunc jactem tua munera verſu?
Per quem detectus terrarum innotuit orbis
Alter, & ignotas alio ſub cardine ſilvas,
Fecundoſque auri montes oſtendit Iberis.
Te vaſtum per iter curvas ducente carinas,
Tollunt ſe ingenia, atque ævo incomperta priorum
Optatam in lucem populis mirantibus edunt.

Pandit ſe natura parens, curaſque ſagaces
Cultorum, mundi ſecreta per omnia ducit.
Quid prius inventum memorem terraque, mariſque?
Anne tuos auſus, laudataque vela, Columbe,
Perſequar, atque tui relegam veſtigia curſus,
Solis ab occaſu? Nautis intacta vetuſtis
Litora, & in vaſto disjectas gurgite terras;
Herculeas ultra Gades Soliſque cubile;
Qua priſca Atlantis medio jacet obruta ponto?
Inſuetas rerum facies, immania dicam
Corpora? Diſſimiles animos, rituſque virorum?
An teretes gemmarum oculos, aurique metalla
Expediam? quique occiduum dum currit in æquor
Argento nitidas amnis devolvit arenas.
Munera magna maris. Alias circumſpice partes.
Aſpice Riphæas qua mundus vergit ad arces:
Sævus ubi infeſtis caligat Juppiter aſtris:
Quaque veternoſus volvit ſua plauſtra Bootes.
Illic æterno Borrandia frigore torpet;
Zemblaque Parrhaſiis nunquam viduata pruinis.
Triſte ſolum; informes campi, nulliſque virentes
Arboribus, nullo pinguntur gramine valles:
Nulla agris errant pecudes: non ulla rigenti
Involitat cælo volucris, atque aëra findit.
Vulpibus hic locus, & ſolis habitabilis urſis.
Nulla domus, nulla humani veſtigia cultus.
Immotum glacie pelagus bis quinque tenetur
Menſibus, & ſtupidis agit alta ſilentia lymphis.
Verum ubi ſol flammis hiberna piacula purgat,
Cum melior cæli facies, clementior aura,
Diſſilerit inductum marmor, ſolvuntur inerti
Vincla mari. Tunc magna oculis miracula ſurgunt.
Nam durata undæ facies compage ſoluta
In montem aggeritur, cumulataque ſurgit in auras

Turribus

Turribus æqualis. Quales ſale Cyclades extant
Ægæo, & vaſtas prætendunt litore rupes,
Heu malè tunc curvis impellitur unda carinis.
Quid memorem ignotis fluitantia monſtra figuris?
Qualibus ipſe pater Nereus occurrere formis
Nereideſque pavent & Manalis Amphitrite.
Quoque modo ſtrictis inſultent Roſmares undis?
Nec minus ætheriis pars mundi ſubdita flammis
Quam rapidi torrent nimium temone propinquo
Solis equi, noſtris aperit ſua litora nautis.
Jam pridem æquorea mercator pyxide fretus,
Has didicit luſtrare plagas; pridem aſpera bellis
Europa invictos jactat miſiſſe colonos,
Ultra Indum, Gangemq; ſupra: quaq; ultima quondam
Cattigare veterem ſignabat limite mundum;
Auſtrorum in patriam; & clarum majoribus aſtris
Obſtupuit Dramaſam. Sed quis detecta ſub illo
Vertice, tot rerum miracula pandere verſu
Sufficiat? varias gentes, habituſque locorum;
Et quas quæque ferat regio ſtirpeſque feraſque.
Non mihi ſi toto quatiantur pectora Phœbo,
Et totum Aoniæ pandant Helicona ſorores,
Tam longo cantus poſſim ſupereſſe labori.
Nunc age quæ motus aſtrorum, vimque potentem,
Urania, obſervas; celſo quæ vertice cœlum
Attingis, mundique animo ſecreta revolvis;
Pande mihi cauſas, tantarum & nubila rerum
Diſcute. Tuque adeo magnetis Diva creatrix,
Tu circumfuſa Tuſcis quæ fluctibus Ilvæ
Fundamenta tenes: lapidi quæ ſemina miro,
Quæ venam, & tantas inſpiras numine vires:
Dicite quo cœli magnes impulſus amore,
Et quibus illecebris perflatum Aquilonibus axem
Ardet inxpletum, atque intenta cupidine quærit:

Unde ea cum magno ſilici commercia cælo?
Cùm gravis à ſuperis tellus deſcendat ad ima
Semper, & omniparo quicquid de corpore ſumptum eſt.
Hic dubias ſcindit placita in contraria mentes
Natura, indocilis thalami arcta repagula magni
Laxare & cupidos pulſantum admittere viſus.
Quidam flammiferi legem cauſantur Olympi;
Hunc infra immenſo ſecum rapere infera motu,
Vicinoſque ignes, ventoſumque aëra rentur.
Quare etiam æquorea ſuſpenſum in pyxide ferrum
Urgeri motu hoc, cæloque agitante cieri.
Nec requiem eſſe ullam, donec ſe ferrea cuſpis
Aptarit regioni, altum quæ tendit ad axem.
Sed potior talem audentes inducere cauſam
Convincit ratio, & fraudem res ipſa refellit.
Ut moles cæli in gyrum converſa feratur:
Non tamen hic infra poſſit rapere omnia motus:
Non uſque ad terram tantas impellere moles.
Tum ſi deſcendit: cur non per ſe hac eadem vis
Ferrum ſemper agit, gelidamque inclinat ad Arcton?
Aut quid jam magnetis opem, frictumque requirit?
His pulſis, ſupereſt alias exquirere cauſas.
Succedunt alii, certaſque in vertice mundi
Divinant regnare faces, quæ fœdere certo,
Occultis in ſe valeant convertere ferrum
Illecebris. Sic noto ingens cum limite Titan
Flagrantes volvit currus, & circuit orbem;
Formoſo certos impellit numine flores:
In quibus & Clyties qui verſo è corpore cretus;
Aurato fulgore tuos Tithonia crines
Vincit, & Heſperidum redolentia mala per hortos
Nam rutilum cum mane jubar Sol magnus Eoo
Exerit Oceano, & triſtes fugat axe tenebras:
Surgit amans, vultumque calendula flectit ad ortus

Surgentemque altè inſequitur, ſequiturque cadentem.
Haud ſecus, & quam barbam hirci dixere priores,
Stirpem haud ignotam fecunda colentibus arva,
Vis eadem Phœbi tacitis moderatur habenis.
Inde alia hoc memorant verti mortalia ritu
Viribus aſtrorum, quas vividus influit æther.
Quippe etiam lunæ menſes volventis, amicas
Oceanum ſentire vices; & litora fluctu
Integere, aut nudare fretis ſpumoſa reductis.
Cynthia dum juſtis diſpenſat lumina quadris;
Sed quanquam hæc aures multo ſententia plauſu
Perſonat, & denſa auctorum ſe nube tuetur.
Hinc omnis pendet Petoriſiridis atque Necepſi
Pagina, diſpoſitis fatum quæ ducit ab aſtris.
Attamen haud aliter quàm motu & lumine cælum
Moliri quicquam in terris, natoque calore,
Ex his qui ſemper nexu haud fallente reſultat,
Æmathii potior contendit ſecta magiſtri.
Quare alii malunt propiores quærere cauſas
In terris, novaque exurgit doctrina putantum
Herculei fœtos lapidis, chalybumque metallis,
Sub Boreâ longo tractu ſe attollere montes.
His vim cognatam tenues manare per auras
Montibus: hinc aptum converti ad ſidera ferrum.
Vaticinantur, & hoc denſam ſe rumpere nubem
Commento ſperant, veri ſe ſe unde refulgens
Oſtendat ſpecies, & in æthera purget apertum.
Sed miror, quæ tanta animos fiducia tollat,
Ut nulli viſos Boreæ ſub cardine montes
Fingere, & his ſtudeant fucis illudere mundo.
Uſque adeo famæ mentes inſana cupido
Sollicitat, captaſque incerta per omnia ducit?
Quid ſupereſt igitur, quo ſe ſubducere quiſquam
Poſſe putet, veri cupidus, pulſiſque procellis,

Tranquillo tandem curas componere portu.
Multa quidem reſtant variorum inventa Sophorum;
Sed citius quot vere novo dent humida flores
Prata referre queam; quot frugum æſtate manipli
Meſſoris ſub falce cadant, quot prala ſub ortum
Arcturi elidant Bromio ſpumante racemos.
Quæ tamen his rerum vidit Gilbertus in umbris,
Rara Caledoniæ Gilbertus gloria terræ;
Credo equidem, Muſis, majore & numinis œſtro
Impulſus, reticere nefas: juvat alta potentis
Naturæ arcana, hoc tanto praeunte magiſtro
Digerere in numerum & magnis intexere peplis,
Alta quibus Clariæ decorant ſua templa ſorores.
Gilbertus quondam errabat per amœna vireta,
Qua Tameſis rapido prorumpit in æquora curſu;
Solus, & ancipites volvebat pectore curas,
Magnetis ſuper ingenio, veterumque repertis:
Nec poterat dubiis perplexam exolvere mentem.
Hæc meditans, ſacrum (Divum ſic fata ferebant)
Cælicolum matri, & Nymphis pervenit in antrum.
Coniferis circum ramis cui plurima pinus
Veſtibulum umbrabat: vix primo in limine greſſum
Intulerat, viridem ſubtus veſtigia terram
Cùm ſenſit tremere: ille in humum defigere viſus,
Attonitus: tum multa ſuo cum corde putare.
Cùm ſubito in vacuum rupta tellure verendos
Aſpicit antiquam Cybelen attollere vultus,
Vertice ſuccincto turres & tecta gerentem.
Stare dehinc contra, & tales emittere voces.
Quæ vos mortales, ubi cauſas tempora poſcunt;
Et placet obſcuros naturæ exponere motus;
Ambitio à terris ſemper convertit ad aſtra?
Quid cauſas petere ex alto juvat, & male fulta
Principia, ac totum cælo ſuſpendere mundum?

Nec venit in mentem quantum diſtetis Olympo.
Sic vos incertæ rapiunt per inania curæ ;
Dum nemo omniparæ numen Telluris amicum
Inſpicere, & primam dignatur noſcere matrem,!
Siccine vos non ullus amor, non cura remordet
Altricis, gremio quæ vos complexa benigno.,:
Omnigenis recreare opibus non ceſſat, in uſum
Innumera effundens ſpatioſis munera campis ?
Hanc molem tantum informem, gremiumque putatis,
Amplecti natum à cælo quod defluit alto.
Non ullas tanto regnare in corpore vires.
Erroris tanti cauſa, & fatalis origo ;
Quod quiſque ingenio parcit, ſequiturque priores ;
Nec fas antiquo decedere tramite cenſet.
Tu quem nulla movent veteris reſonantia famæ
Nomina ; qui ſolo veri inflammatus amore
Huc tendis greſſus, quo te experientia ducit,
Ipſamque inſequeris naturam, & motibus hæres.
Accipe telluris quantum ſub corpore vaſto
Ingenium, & fatis lateat conceſſa poteſtas.
Terra quidem in medio pendens fugientia circum
Sidera, & expanſum latè videt undique cælum.
Hinc dulces Phœbi radios, blandumque teporem
Veris, & ambigui faciem diſcriminat anni.
Hinc oppartunos gignendis fœtibus imbres,
Seminaque exceptat celſo venientia cælo.
Non tamen hæc nulla ingentis diſcrimina molis
Sortita eſt, ſimilemve gerit per membra tenorem.
Novit & ipſa polos, legeſque imitatur Olympi ;
Et gemino hinc Borean, hinc vertice reſpicit auſtrum :
Nec ſecus hanc axes limes porrectus in ambos
Dividit, & tractu per totum diditur orbem.
Ut cæli nullo poſitus variatur in ævo :
Haud aliter certo conſiſtit fœdere tellus,

Indocilis mutare ſitum. Quæ vergit ad Arcton
Nunc regio; ſi qua immanis violentia in auſtrum
Verteret; haud longum poſitu perſtaret in illo;
Sed motu innato notum ſibi redderet axem.
Quid mirum eſt igitur legem ſi ſervat eandem
Alcide à magno dictus lapis? inclyta terræ
Qui ſoboles, magis ingenium, moreſque parentis
Exprimit. Hinc illi affectus, quo reſpicit axem
Certa fides: quacumque orbis regione locetur,
Idem perſtat amor: illi communia jura
Cum tellure mea: commune his denique nomen.
Aut poni ambobus, aut permutare liceret.
Nec mihi diſpliceat converſo nomine terram
Magnetem ingentem totam dici, & vice verſa.
Herculeum lapidem, breviorem corpore terram.
Nec te commoveat, gelidum quod ſemper ad axem
Non tendit recta converſus cuſpide magnes,
Sed noto interdum declinat tramite vultum.
Tendit enim ſemper, modo nulla obſtacula pugnent.
Quod vix eſt latè expanſum vitare per orbem.
Uſque adeo varia eſt tellus, quam mille locorum
In ſummo vertunt facies; diſcrimina mille.
Hîc virides pandit campos; horrentibus illic
Obſcura eſt ſilvis: alibi alta cacumina in auras
Erigit, & denſas contingit vertice nubes:
Squalentes alibi vento diſpergit arenas.
Hîc liquidis operitur aquis, panditque cavernas.
Fluctibus, & tumido circumdat brachia ponto.
Aut rapidos altis devolvit montibus amnes.
Hæc igitur terrarum inter diſcrimina tanta,
Non eadem conſtare poteſt magnetis ubique
Conditio; ſed & hunc pariter variare putandum eſt.
Quippe ubi plus terræ occurrit, ſcopuliſque minatur
In cælum, & ſolidæ pandunt latera ardua cautes:

Cogitur has ferrum in partes deflectere, virtus
Unde venit major: tunc notum tendere ad axem
Non valet: obſtat enim terrarum objecta poteſtas
Tendenti, & radiis niti in contraria cogit.
Nunc age quæ chalybis magnetem tanta cupido,
Inceſſat, ſurdis unde hæc concordia rebus
Addita; cur ſimili haud ducat genus omne metalli,
Conſenſu; ut poſſis certis cognoſcere ſignis,
Aſpice quæ ſpecies natura exempla per omnes
Objicit ipſa tibi: viden'ut conformia jungat,
Et ſimile admotum ſimili applicet? Hæc data cunctis
Fœdera. Sic pronis labentia flumina ripis,
Conveniunt facilè, atque uno ſe gurgite miſcent.
Sic flammæ coeunt flammis: ſic preſſus ab undis
Spiritus indignatur, & obvia corpora pulſat,
Donec cognatas victor prorumpat in auras.
Nec ſecus affuſis ſe pinguia pinguibus addunt;
Ardenti liquefacta foco: at fluvialibus undis
Miſceri nolunt, & fœdus inire recuſant.
Aſpice ut omnis humo proprium radicibus arbos
Elicit humorem; ut pecudes viridantia tondent
Gramina, laſcivæ rodunt virgulta capellæ;
Glande ſues, Libycis turget ſerpentibus Ibis.
Cætera ſic apto gliſcunt animalia paſtu:
Haud alia rerum magnetem lege putandum eſt
Occultis in ſe radiis convertere ferrum;
Atque ipſum formæ tangi propioris amore.
His tunc Gilberto dictis Berecynthia mater
Telluris ſecreta, & res caligine merſas
Pandebat, quæ deinde alto ſub pectore volvens,
Ipſe novis auxit curis, chartiſque reliquit
Perſcripta æternis, totum ediſcenda per orbem:
Solus qui potuit naturæ oſtendere leges,
Herculeo in lapide & dubiis exolvere mentes;

Atque vagis tantam nautis accendere lucem.
At tu ſumme parens rerum, cui ſidera parent,
Cujus ad arbitrium mortalia fata ſequuntur;
Fac me ſecuram in terris traducere vitam,
Dum mentem his nexam vinclis natura coercet.
Neu me unquam lucri, aut famæ tam dira cupido
Percipiat, fragilem ut libeat conſcendere pinum;
Devotumque atris caput objectare procellis.
Me placidæ teneant urbes, me numina ruris
Muſarum intentum ſacris. Illi horrida pulſent
Æquora & Eoæ quærant commercia ripæ
Queis Deus ingenium, & tantas in pectore vires,
Et corpus patiens pelagi dedit: omnia ferre
Qui poſſunt animis longinqui incommoda curſus:
Qui ſiccis oculis medio ſurgentia ponto
Prælia ventorum, & tantos ſpectare tumultus,
Iratumque mare, & rorantia fluctibus aſtra.
Aſt ego quandoquidem cœptis ſum talibus impar;
Vota feram ſuperis, animoſa ut cœpta ſecundent.
Sat felix, ſi quæ rerum monumenta ſuarum
Præclara ediderint, cupido verſare licebit,
Et totum libro ducet me Muſa per orbem.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

VEra canam, ſtudiis veterum intentata Sophorum;
Caſtalidumque choris; non ipſi cognita Phœbo
Ille autem ſolo qui condidit omnia nutu,
Scire dedit nobis, cælo miſeratus ab alto,
Ancipites animorum æſtus, caſſumque laborem.
Ne quiſquam poſthac magni primordia mundi
Eſſe atomos putet, immenſum per inane vagantes:

Aut

Aut informe chaos: naturam aut volvere ab ævo
Quicquid agit, quodcumque novos educit in ortus.
Neve unum quiſquam neget ire per omnia numen,
Sed plures regnare Deos ſibi fingat; & orbem
Diviſum fratres inter: moderamen Olympi,
Ætheriaſque domos magno ceſſiſſe Tonanti:
Aſt alium Pelagi abſtruſum ſpumantibus antris,
Immenſo dare jura mari: ſeu tollere fluctus
Eſt opus, aut tumidas nutu frænare procellas:
Quin etiam tenebroſa ſuo parere tyranno
Tartara & errantes ripis horrentibus umbras.
Jam pridem has nova lux nubes mortalibus agris
Diſpulit, & tetra ſolvit caligine terras.
En tibi quæ cunctis immoto credere ſenſu,
Non vatum ambages, verique effœta vetuſtas;
Sed certi afflatus, demiſſaque pagina cælo
Imperat: hæc totum Sophiæ inconcuſſa per orbem
Dicta ſonent. Felix, hæc qui decreta tenaci
Pectore fixa geret: neque ſi vis ultima cogat,
Exuet, & potiùs vitam cum ſanguine fundet.
Credo Deum regnare Patrem, qui cuncta potenti
Perfecit verbo, qui cæli ingentia templa
Condidit, & ſtellis aptos ardentibus orbes.
Qui media altricis libravit pondera terræ,
Aëraque ambiguum fudit, campoſque liquentes.
Filius huic unus, ſummo qui lapſus olympo,
Virginis incluſ[illegible]d non dedignatus in alvo
Delituit, fragileſque ſibi circumdedit artus,
Vi Superûm. Ah quantos hominum pro gente labores
Pertulit: inſontem diris cum Pontius illum
Addixit pœnis: cùm duro in ſtipite fixus
Hæſit, funereis intendens brachia lignis.
Credimus & leto (quamquam natura repugnat)
Procubuiſſe Deum: cæſa ſub rupe ſepultum;

Hinc ſtygios adiiſſe lacus, maneſque profundos
Vidiſſe; & longas patribus ſolviſſe catenas.
Tertia lux Erebi ſurgentem vidit ab umbris
Victorem. Hinc pace aſſerta, rebuſque per orbem
Compoſitis, Patris antiquas remeavit ad arces.
Cujus nunc ſedet ad dextram, & ſolio arduus aureo
Accumbit, terras unde omnes, omnia regna,
Mortaleſque domos, & vaſtum deſpicit æquor.
Idem ubi defeſſum in cineres flamma ultima mundum
Solverit, & buſtum naturæ illuxerit ingens,
Collapſum reparabit opus; melioraque reddet
Omnia. Tum judex vivorum, & luce carentum,
Nube ſedens glauca, variantique Iride fultus
Iura dabit mundo, & vitas inquiret in omnes.
Te quoque, Amor, ſacra amborum qui pectora jungis
Et Patris & gnati; quem veri ignara vetuſtas
Eſſe animam mundi ſtatuit, totoſque per artus
Infuſum, vaſtam naturæ impellere molem:
Credimus eſſe Deum, atque æquo veneramur honore.
Tu reſeras ſecreta poli; tu præſcia vatum
Corda moves; tu das noctem penetrare profundam
Fatorum, & certas adytis expromere voces.
Quocumque adſpiras, miro virtutis amore
Incenſi flagrant animi, ſpretiſque caducis
Sponte ſua claras Superûm nituntur ad arces.
Tu magni Paſtoris oves deducis in altos
Supremi Elyſii campos, his pabula vera,
His ſacros aperis fontes, manantia lacte
Flumina, & ætherio diffundis nectare mentes.
Felices! ardens quos tollit ad æthera virtus.
Quos hominum cœtu ex omni ſelegit Olympi
Regnator; Stygio genus inſuperabile regi;
Aurea progenies cæli ventura ſub axem.
Nunc adeo, dumque hac fragili ſub mole gravatur

Corporis, & mœrens cæleſtibus exulat oris,
Miſcetur Superis: illi communia namque
Jura poli, atque eadem melioris pignora vitæ.
Nec minus, eſſe vices, & certa piacula, fontes
Quæ valeant animas tetris abſolvere culpis,
Credendum eſt; miſeris nec inexorabile numen,
Dum vita in terris fluit irreparabile tempus.
Credimus. & vinci indocilem (mirabile dictu)
Senſuram ſe ſe, atque abolendam denique mortem.
Atque adeo ſeclis volventibus, affore tempus,
Attonito manes quum mors Acheronte remittat:
Luridus exangues revehat quum Portitor umbras:
Quum tumulata cohors, abjurataque rapina
Cælo oſtendantur; defunctaque corpora vitæ,
Ætherias reſonante tubæ clangore per auras
Deſuper; antiquis ſurgant rediviva ſepulcris;
Verùm haud ſorte pari. Nam quos malè ſuada libido,
Invidia infelix, & amor ſceleratus habendi
Impulerit Divum ſacrata reſolvere jura,
Hos infanda manent Erebi penetralia, noctes
Æternæ, dirique inferno in carcere luctus,
Iræque, Eumenidumque faces, & verbera ſæva.
Contra autem, duros qui pro virtute labores
Pertulerint, nullo macularint crimine vitam;
Aut quibus abreptis aliquando in prona, regreſſum
Annuerit Deus, & lapſos componere mores:
Hos lætæ excipient ſedes & lucida regna,
Aſtra ſuper; Divûmque chori, manſuraque ſemper
Gaudia. Quam nobis vitam rex ille Deorum
Atque hominum, clemens poſt hæc mortalia donet.

IN CHRISTI NATALEM.

SCilicet illud erat tempus, quod præſcia vatum
Turba, Palæſtinis quondam exaudita ſub antris,
Affore dicebat; ſummo cùm numen Olympo
Demiſſum, in caſtæ gravidam ſe Virginis alvum
Indueret, fragileſque ſibi circumdaret artus.
Advenit: ſummo delapſum Numen Olympo,
Ecce colit terras; quique arduus ipſa videbat
Sidera ſub pedibus rapidos obeuntia curſus;
Nunc humilis, caſtæque recens Genitricis ab alvo,
Jam noſtri generis, jam noſtri ſanguinis infans
Maximus in ſtabulo vagit Deus. Ordine verſo,
Intemerata parit; totum qui condidit orbem,
Naſcitur. Ancipiti nova per miracula niſu
Angit ſe ratio, & monſtris ſtupefacta laborat.
Infelix, abſiſte ſacros tentare receſſus,
Tu modò, ſancta Fides, tantarum exordia rerum
Pande volens, cæli Regem quæ cauſa ſubegit
Sedibus extorrem patriis, & vertice tanto
Dejectum, obſcuris puerum vagire ſub antris;
Et rerum mutare vices. Antiqua piorum
Sit vatum monumenta ſequi. Eurialia vinci
Tartara non aliter poterant, fraudiſque vetuſtæ
Detergi illuvies, quæ primâ ab origine ſerpens
Indomita totam in gentem ſe labe ferebat.
Nam poſtquam exemplum in melius tellure ſubactâ
Conditor humanæ poſuit primordia gentis
Immortalem Adamum, vaſtas moderamine certo
Qui regeret terras, ſummi Rectoris imago;
Quique altâ ditione vagis telluris alumnis
Iura daret: mox illum etiam complexus, in altos
Induxit Genitor lucos, ſedeſque beatas

Fortunatorum nemorum, loca ſacra quieti:
Quò neque pallentes poterant irrumpere curæ;
Nec conjurati pacem violare tumultus,
Huic etiam (thalami exortem ne ducere vitam
Triſte foret, ne grata minùs ſine teſte voluptas)
Conſortem vitæ addiderat, thalamique puellam.
Ecce autem invidiæ ſtimulis agitatus amaris
Incola Tartareus, veritis nil tale colonis
Fatales parat inſidias: fit lividus anguis;
Et longo inſinuans frondoſa per avia lapſu,
Lubricus, incautam blandis circumvenit Hevam
Alloquiis: vetitos ſuadet decerpere fructus.
Capta dolis, mox illecebris formoſa maritum
Aggreditur: vetitos ſuadet decerpere fructus.
Hinc omnis generis labes, hæc cauſa malorum.
Nam Deus hanc dederat legem, ne carpere fœtus
Auderent, arbos ramis quos læta ferebat
Auricomos; ſi mandatis parere negarent,
Exitioque ipſis facinus, generique futurum.
Ergo commiſſum Nemeſis non tarda ſecuta eſt.
Protinus ejecti ſilvis, Aſtræa nocentes
Deſerit, immiti patefacta eſt janua leto:
Et, quod ſupplicioque & morte atrocius omni,
Clauditur heu! cœlum miſeris, tenebroſa dehiſcunt
Tartara, damnatumque hominem Dominator Averni
Servitio trahit, & totâ de ſtirpe triumphat.
At, quamquam ſcelere in tanto, culpaque recenti
Omnipotens juſtas animo conceperat iras;
Non tamen haud lapſæ fatum exitiabile gentis
Reſpexit, cœloque Pater miſeratus ab alto eſt.
Olli Filius immenſo quem gignit ab ævo,
Æternam effigiem miro complexus amore:
Hunc mittit, triſtes ſolvat qui morte catenas
Oppreſſis, diramque abſtergat ſanguine labem.

Hic ille eſt, qui nunc infans ſub paupere tecto
Orditur pœnas: vili præſepia fœno
Excipiunt labentem utero, mordaxque pruinis
Vrit hiems; nullos renuit perferre labores,
Dum ſontes animas imo ex Acheronte reducat.
Vſque adeo Superos humanæ cura ſalutis
Sollicitat. Da, ſumme Pater, tuque unica Proles,
Hoc tam inſigne tui monumentum & pignus amoris:
Quæque alia in terris pro me graviora tuliſti,
Aſſiduè verſare animo, dum vita manebit.
Paſtores inter primos, turbamque fidelem,
Ingrediar ſpeluncam animis, tibi carmina fundam,
Et tua purpureis ſpargam incunabula ſertis.
Exorere ô, triſteſque animis depelle tenebras,
Sol ſupreme, hominumque novâ face pectora luſtra.
Da fluxas contemnere opes, da gaudia ſecli
More tuo, & faſtus pedibus calcare ſuperbos;
Nullis illecebris, nulla ambitione moveri.
Tu mihi ſis fortuna, Deus, tu ſola voluptas,
Tu mihi cuncta, alacres tua per veſtigia greſſus
Fas ſit ferre, minor ſtricto quà limite turba
Te ductore, altas ſuperûm contendit ad arces.

IN CHRISTUM PATIENTEM,

ODE.

HEu! quanta rerum monſtra volvit hæc dies.
Stupenda ſeclis omnibus.
Cohors Gigantum pejor, in majus nefas,
Emerſa ſontibus vadis,
Bacchatur ultra ſidera, & furit Deo
Inferre pollutas manus.
Reparat quieto prælia nefanda ætheri
Non phlegra conjeſtis jugis;

Quâcumque phlegrâ ſed mage impia & furens
Regis Propheta civitas:
Non diſſolutis montium compagibus,
Ruptâque tellure in Deos;
Telo ſed omni armatur impium ſcelus,
Quod cacus expedit furor.
Creator orbis (proh! nefas) turba infera
Fit præda, vapulat Deus;
Denſis flagellorum ictibus ſtridentium
Divina purpurat cutis:
Bibunt cruorem ligna ab ore vulnerum
Et jam cruci invidet polus:
Audax tenebras mors ſub inſolitas Deum
Nigris rapit jugalibus:
Magno ſuperbit mortuo incubans ſilex;
Ut ſole turbida æquora,
Gades ſub imas, abdidit poſtquam jubar
Feſſâ caducum lampade.
Ergone refixis legibus mundi, vetus
Non cuncta miſcuit chaos?
Tremens cadente nec Deo cecidit polus;
Nec terra perdidit globum?
Natura potuit vivere, & Deus mori,
Qui vita, robûrque omnium?
Et mors profeſſa numen excidiis ſuum
Jam fiet omnium ſalus?
At tu inquietos animæ motus comprime;
Abſiſte ratio pervicax;
Cum lethi iniquas numen obierit vices
Tu cum Deo ceſſas mori?

AD CHRISTUM DOMINUM

Auctor, cum longo & ancipiti morbo oppreſſus jaceret.

O Miſeris numen præſens, ô Chriſte, levamen,
Omnibus, ex animo qui tua ſacra colunt:
Eripe me his, invicte, malis, languoris iniqui
Ne frangant animum tædia longa meum.
Luna ter inflexa curvavit cornua fronte,
Ter totum expleto reddidit orbe decus;
Ex quo nec triſtem poſſum producere vitam,
Nec gelidæ poſſum mortis obire vices:
Sed vitæ ancipitem & leti, diſcrimine parvo,
Hinc ſpes attollit, deprimit inde metus.
Ceu mare turbatum ſubita exoriente procella;
Velivolas portum verberat ante, rates.
Felices! dura quos morbi compede vinctos
Liberat abrupta mors properata via:
Hos non torva diu mortis perturbat imago,
Dum trahit ingratas Parca vocata moras.
Non diræ exercent ſomni ſine munere noctes;
Non mille excruciant tartara, mille faces;
Non importuno vexat medicina labore,
Nil profecturas dum malè jactat opes.
Interea exhauſtos febris mihi lancinat artus;
Aridaque accenſo viſcera felle coquit.
Jam mihi nil miſero niſi pellis & oſſa ſuperſunt,
Infelix hujus larva quod ante fui.
Vivo tamen, morbumque meo jam funere paſco;
Nec me vis tanti conficit ulla mali.
Reſpice depoſitum, finemque impone labori,
Aut vivam, aut citius ſtamina Parca ſecet.
Non vitam peto, nec mortem: non omnis amanda eſt
Vita, ſed incolumis, quæque dolore vacat.

Sit modus ærumnis, & poſt tot fulmina & umbras;
Aut tumulum, aut placidos annue Chriſte, dies.
Quid loquor! & quæ tanta animum dementia turbat?
Juſtus es, & merui vel graviora pati.
Sim miſer, haud renuo quemvis perferre dolorem,
Et quantum tempus juſſeris, eſſe miſer.
Sed ſi me in pœnis certum eſt traducere vitam:
Fac, Chriſte, invicto pectore dura feram.
Ipſe novas feſſo vires, animum ipſe miniſtra,
Et trepido curas diſcute corde graves.
Nam mihi quod dederat robur natura, ferendis
Tam longum aſſiduis excidit omne malis.
Tu ſolus labenti animo reparare vigorem,
Erigere occultis tu potes alloquiis:
Tu reparare alas animæ, quæ pondere victa
Concidit, & poſito vertice fixa ſolo eſt.
Sentit enim, ſi quid mortales prægravat artus;
Corporis oppreſſi nata dolere vices.
Quo minus hæc tanto potis eſt diſcrimine morbi,
Virtutis clarum cernere ut ante, decus.
Sed poterit, paulum hanc ſi ſancto afflaveris igne,
Numinis & pectus ſtrinxerit aura tui:
Tunc omnes fortis poſſim perferre procellas,
Morborumque cruces; nec mea fata queri.

IN PRÆMATVRUM OBITUM

ERUDITISSIMI JUVENIS;

JOANNIS VERJUSII.

Pierides, qui vos ſaltus, nemoroſaque Pindi
Antra ſub arboreis detinuere jugis?
VERJUSI *domitos febris cùm carperet artus,*
Et charum infauſto perderet igne caput:

Tuque adeo omnigenûm quæ triſtia funera tardant,
Herbarum & medicæ, Phœbe, repertor opis:
Tunc contra immanem caſum morientis alumni
Nulla tibi in ſacris montibus herba fuit?
At ſi veſanis irrumpens barbarus armis
Conjiciat diras in tua templa faces;
Intonſas bijugo ſuccendat vertice ſilvas,
Det tua ſacrilegis plectra canora rogis;
Scilicet infandam pulcris avertere peſtem
Sedibus, haud ſegnis pectore cura premat:
Ac vel Pieriis reſtinguere fontibus ignes
Tunc properes, Cirrhæ vel quibus antra ſonant:
Viſcera tum proſtrati hoſtis pro crimine tanto
Objicias avidis dilanianda feris.
Quod tunc auxilium formoſis, Cynthie, ſilvis
Quam tua liminibus dextera ferret opem,
Debueras juveni egregio, quo ſoſpite ſacris
Major honos ſilvis, liminibuſque foret.
Te decuit cunctis inimicam extinguere febrim,
Quæ de Cirrhæo monte feruntur, aquis.
Ah! non juſta queror: nulla in diſcrimine tanto,
Quam non præſtiteris, cura relicta tibi eſt.
Omnia feciſti: ſed duram avertere ſortem,
Quamquam multa vales, non tibi, Phœbe, datum eſt.
Eripuit tibi Parca tuos Hyacinthon amores:
Vidiſti Admeti lumina nocte tegi.
At te tam chari capitis ſi cura remordet;
Si non & rapida morte ſolutus amor:
Quod potes, informes tumuli ſentire ruinas
Cultoris nomen ne patiare tui.
Non tamen ignotum petimus conſurgere florem,
Signatum infauſtis germina mœſta notis.
Tu modò collecta in claram bonus exere lucem
Ingenii poſuit quæ monumenta ſui.

Jam nunc & juvenem eximium docti undique vates
Laudibus æternis te ſtimulante ferant.
Fletibus hic aptos elegos ; hic carmina fundat,
Qualia Lesboâ blanda Corinna fide :
Nec deſit majore animum qui concitus œſtro.
Conferat in ſenos grandia verba pedes.
Ille novum, dicent, decus, ipſo in flore juventæ.
Pene omnem Aonii gurgitis hauſit aquam.
Nam velut amplexu nemorum Parnaſſia longo
Stirpibus innumeris culmina cincta virent ;
Hic Daphnes virgulta ſonant, frondentibus illic
Subjectam ramis ulmus opacat humum.
Tum quercus, piceæque, & nigris frondibus ilex,
Populeis vento fluctuat umbra comis ;
Et quæcunque altos variant diſcrimina lucos,
Seu, Dodona, tuos, ſive, Erimanthe, tuos :
Eximius ſic omnigenas VERJVSIVS *artes*
Immenſo attigerat pectore adhuc juvenis.
Nulli unquam juveni plus indulſere Camœnæ.
Me miſerum ! hinc fatis accelerata via eſt.
Seu membra immodico ſtudiorum exhauſta labore
Ingenii ſacram deſtituere facem :
Sive illum, dum virtutes Proſerpina penſat,
Dum numerat libros, credidit eſſe ſenem :
At decus immortale manet, quod nulla vetuſtas
Obruat : huic morti janua nulla patet.
Has illi inferias mittat gens undique vatum
Et clarum extincti nomen ad aſtra ferat.
Hæc mihi Latoides ſubmiſſa voce roganti
Annuit, ingenti concrepuitque lyrâ.

IN BRITANNORUM CLADES

ξενιάτυς.

EXpectata diu Nemeſis, nunc denique Regum,
Pro majeſtatis violatæ crimine, ſontes
Omnibus inſequitur pœnis, vaſtatque Britannos;
Et comites jubet ire Deos: ceu bella reſurgant
Terrigenûm, propiorque aſtris iterum Oſſa minetur
Cœlicolis. Varios labor eſt memorare labores.
Jam primùm infauſto congreſſus lumine Titan,
Lurida corrupto ſpargit contagia cælo:
Dira lues unde in terras graſſata nocentes.
Qualis nec raptâ Chryſeide Achaïca caſtra
Contudit. Hæc cineri Regis de plebe nefanda
Inferias, magniſque piacula manibus infert.
Hinc armat Bellona Moſam, Rhenumque bicornem,
In Tameſim; innumeris reſonant freta pulſa carinis.
Arva Caledoniâ Neptunia clade rubeſcunt.
Sed bello & morbis fœcundam abſumere gentem
Longa mora eſt; nec jam factis ſtimulata ſuperbis
Suſtinet ira moras. Siculo Vulcanus ab antro
Elicitur, ſubitis vertat qui mœnia flammis.
Ilicet ignis edax vicos effuſus in omnes,
Antiquas populatur opes, ſummoque furore
Correptum in cineres Londinum à culmine vertit.
Tum nullis poſſunt infanda piacula flammis
Purgari. Supereſt ſe ſe quæ gurgite ab imo
Unda ſuperfundat terris, dirumque ſequatur
Eluvie vulgus, latos bacchata per agros.
Protinus impulſo excutiens latebroſa tridente
Æquora Neptunus, vaſtas ad litora moles
Concitat; it retro Tameſis, trepidoſque redundat
In populos, vetitus pelago tranſmittere fluctus.

Sed neque commoti manifeſto numine ponti
Ulla truces animos portenta retundere poſſunt.
In mediis ardent bellum inſtaurare ruinis.
Bellua ſic Lernæ umbroſas amplexa paludes,
Amphitryoniadæ magni (ſi credere dignum eſt)
Laſſavit validos toties rediviva lacertos.
Ergo ubi ſidereos Superi rediere Penates,
Multùm indignati non ulla clade nocentum
infractam tumidos mentem deponere faſtus;
Iracunda Jovem poſcunt jam fulmina: tum Rex
Cælicolûm, ſolio placidus ſic fatur ab alto:
Sit ſatis immanes terræ omniparentis alumnos
Igne meo fudiſſe ſemel, cùm culmina mundi
Appeterent; non corda minùs violenta Britannis,
Sed vis & fortuna minor, nec digna Tonante.
Haccine colluvies noſtris dignanda trophæis?
Hæc noſtrâ ferienda manu? Iam bella remitto.
Nec vos (tela licet vindex Rhamnuſia poſcat
Nunc etiam, & nimiùm parcentes increpet iras)
Impulerim victæ toties concurrere genti.
Quid properamus enim? proprio mox ipſa furore
In ſua fata ruet: proprio eſt linquenda furori.
Hic peſte, hic flammis, hic bello atrocior omni,
Diluvieque, & navifragis truculentior auſtris.
Mox juſtum adveniet tempus, cùm fœta colubris
Implacidos, ut quondam, agitans diſcordia cives,
In ſua compellet convertere viſcera ferrum.
Tunc furiis conſumpta ſuis, ſe vindice, juſtas
Tantorum ſcelerum expendet manus impia pœnas.

AD GUILLELMUM LAMONIUM, SENATUS PRINCIPEM,

Quod illi, ne in agro quidem otioſo eſſe liceat.

Preſſus honore tuo, qui te ſine fine fatigat,
Ruſtica, LAMONIDE*, tecta ſubinde petis;*
Fallere ſi poſſis turbam, ſtrepitumque clientum
Seceſſu, & curas pellere corde graves.
At te tercentum petit importuna quadrigis
Gloria, per Dryadum te ſequiturque domos;
Nec tua te fortuna uſquam ſinit eſſe quietum,
Undique adorantum vulgus ab urbe trahens.
Ut praſtent nemora alta fidem, tutaſque latebras,
Proderis indicio luminis ipſe tui.
Excludunt nitidos frondoſa cacumina ſoles;
Nulla poteſt radios vincere ſilva tuos.
Quacumque incedis, veteres fugit umbra receſſus,
Antraque caca tua luce retecta patent.
Linquunt attonitos antiqua ſilentia lucos,
Vocibus innumeris ſaxa repulſa ſonant.
Miſcentur deſerta foro, tecumque vagatur
Curia in apricis pulverulenta jugis.
Nec te ſilvicola poſſunt defendere Fauni,
Non venatricis numina magna Dea:
Non fontes ſecreti, aut qua ſub rupibus altis
Spelunca magnos occuluere Deos,
Hei mihi! nec Diva Parnaſſia templa colentes
Poſſunt te bijugi monte tenere diu.
Protinus irrumpunt loca non tangenda profani,
Et turbant mœſtis vocibus omne nemus:
Irrumpunt variis agitata negotia curis:
E medio veniunt jurgia miſſa foro.

Hinc gravis Aonias exercet pœna puellas;
Ad ſolitum Themidos cùm revocaris opus.
Mœrent delicias, mœrent ſibi lumen ademptum;
Si quid te nimium cogit abeſſe diu.
Tu quoque mœſtus abes, liceat tibi vera fateri,
Si quid te nimium cogit abeſſe diu.
Et meruere Deæ tibi ſemper ad omnia promptæ,
(Audiat hoc placidis auribus æqua Themis.)
Olim vocales ſolitæ tibi pandere lucos,
Avia qua paucis ſemita trita Deis:
Orgia cuncta tibi, ſacriſque referre ſub antris
Natura immenſo quicquid in orbe gerit:
Stellarum monſtrare vias, Lunæque labores,
Et trepidos Solis deficientis equos:
Quæ vis cæruleas ſuſpendat in aëre nubes:
Iri, tua veſtes quâ varientur acu:
Quâ rapidos imbres effundat Aquarius urnâ:
Quid tantùm rigida grandine tecta ſonent:
Vnde ruant venti: quo turbine torqueat æther
Fulmina: quo trepidet percita terra metu:
An mare ſollicitent gelidæ incrementa Dianæ:
Fluminibus tenues an mare mittat aquas:
Tum recti ambages, normamque exponere morum,
Conditaque innumeris jura voluminibus:
Tot varios hominum caſus, tot geſta per orbem
Bella, & non uno ſtantia ſceptra loco.
Hæc te Caſtaliæ quondam docuere Sorores,
Artibus & cunctis culta juventa tua eſt.
Non te Dircæi fugiunt modulamina plectri:
Non, ſi quid ludit Teïa Muſa, latet:
Non ſi quid, viridi paſcit dum valle capellas,
Paſtoris Siculi fiſtula dulce canit.
Cætera quid memorem priſca monumenta Camœnæ,
Quæ nulli meliùs, quàm tibi cuncta patent?

Queis ſolitus longos olim componere ſoles,
Et ſolitus longæ findere noctis iter.
Nunc te hominum fraudes, nunc mentem paſta tumultu
Sevocat à doctis Curia virginibus:
Aut te regales LVDOVIX *accerſit in ædes,*
Majeſtaſque tuam regia poſcit opem.
Ut poſitam in medio Neptuni gurgite rupem
Mobilis alterno verberat unda ſalo;
Sic te perpetuus rerum circumſonat æſtus,
Curaque ſollicitum nocte dieque tenet.
Nam quia ſumma tuam decorat ſapientia mentem,
Circumſtant omnes, auxiliumque petunt.
Non impune modum excedit clariſſima virtus:
Omnibus auxilio eſt; obſtat at ipſa ſibi.
Ne triſtere tamen, quod non tibi, ut ante, quieto
Pieriis inter non licet eſſe choris;
Sat tibi culta diu doctarum turba Sororum,
Nunc te deſertis montibus illa colat:
Tu moderator eris, tu nobis alter Apollo,
Gloria tu docti præſidiumque gregis.
Quem nunc Icariæ volventem pondera Divæ
Sublevat in cælum ſummus honoris apex;
Cujus in arbitrium veniunt quoque numina, cujus
Inclyta juridico pendet ab ore Themis.
Nunc te nunc meritis decet aſpirare Camœnis;
Nunc ſtudia aſpectu noſtra juvare tuo.
Si ſolium Themidis nemo generoſior umquam
Contigit, aut magno clarior ingenio,
Si tibi naſcenti Clariæ arriſere Sorores
Lætiùs, aſſonuit plauſibus omne nemus.
Miris ora modis opifex tibi finxit Apollo,
Et liquidum in molli gutture vocis iter;
Totque illas tribuit, quibus es mirabilis, artes,
Queis reſonat toto nomen in orbe tuum.

Nunc illis quæ te tantum fecere, benignus
Artibus atque Deis præmia digna refer.
Illis immites placidus depelle procellas,
Illis torpentes excute corde metus,
Sic tua ſe virtus immenſo æquabit olympo,
Sic tua letheas fama cavebit aquas.
Ipſa tuas laudes vincentibus æra columnis
Mnemoſyne inſcribet, ſæcula cuncta legent.
Non illas poterit ſquallens abolere vetuſtas:
Non vis nimborum gurgite cuncta tegens:
Non ſi iterum mundo Phaëton incendia volvat,
Terraque ſidereis fumet aduſta rotis:
Non ſi impacato crepitet Jovis ira tumultu
Deſuper, Ætnæas incutiatque faces.
Scriptorum nullas metuunt monumenta procellas,
Perpetuum eſt, Muſæ quod poſuere decus.
Cætera torrentis rapidi de more feruntur,
Cùm fluctu raptas in mare volvit opes.
Nec Palatinas, quas nunc bonus incolis, arces
O pater æternùm poſſe manere putes.
Invida & has moles aliquando diruet ætas,
Illaque templa ſuo pondere victa cadent.
Nec poterit ſervare Themis, non ulla poteſtas
Legum, paſſuras publica fata domos.
Et lites pax alma premet, fora rauca ſilebunt,
Litibus inſanis pax dabit alma modum.
Protinus antiquum terris revocabitur aurum,
Dictaum terris quod fuit ante Jovem.
Credite. Tharaſiæ LVDOVIX *juravit ocellos,*
Tharaſiæ flavas dulcia vincla comas.
Tunc, puto, nec ſolitos attollet Curia faſces;
Non quatiet mœſtos flebilis urna reos,
Nec quiſquam infeſtis committet prælia verbis;
Aut rabidæ vocis præmia lingua feret.

Attamen Aonidumque labor, Citharæque manebunt,
Heroum & laudes, turba diſerta canet.
Tunc & te Phœbi chorus admirabitur omnis,
Altius & tollet nomen in aſtra tuum:
Non quia magna tenes ſanctarum examina legum,
Supremique ſedes gloria prima fori;
Aut quia mille trahunt fortes tibi aratra juvenci,
Mille tibi tundent paſcua læta greges;
Sed quia virtutum potiori lumine fulges,
Eximiis fulges dotibus ingenii,
Nemo magis certo leges examine librat:
Nemo magis puras tollit ad aſtra manus:
Nulli animus, nulli rerum prudentia major;
Conſilio Neſtor, Neſtor es eloquio.
Et quod, ubi penitus ſcelerum exſcindenda poteſtas,
Alciden tellus non habet ulla parem.
Hæc nullis veterum heroum ceſſura trophæis,
Enthea præcipuo turba furore canet.
Stabunt virtutum ſpirantia ſigna tuarum
Inter majores conſpicienda Deos.
Hic me non opifex ullus, non arte magiſtra
Phidiacæ ſuperent, Praxiteliſque manus.
Quanta olim Alphei ripis cùm luſtra recurrunt,
Deſpicit Eleos forma Tonantis equos,
Tantus eris, tuaque aſpiciens miracula livor
Procumbetque volens, & tibi thura dabit.

IN OBITUM JOANNIS FRONTONIS Canonici Regularis ſanctæ Genovefæ, & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarii.

QUis Genovefæo conſurgit vertice planctus?
Carmine ferali cur pia templa ſonant?
Mœſta quid inſolitos fundens Academia queſtus
Conſcia flebilibus verberat aſtra modis.

En ipſæ Aonides fronti marcentia ſerta,
Et laceris vittas diripuere comis.
Cujus in interitu manibus revoluta Dearum
Plectra dolore, omnes conticuere chori?
Ah! cauſam agnoſco luctus. Frontonis adempti
Fatalem caſum luget amica cohors;
Impia quem, dum ſacra Deûm ſibi tradita curat,
Percutiens Lacheſis, ſuſtulit ante diem.
At quis eo Pylios decurrere dignior annos,
Ducere quis plures ſoſpes Olympiadas?
Quid ſuperos coluiſſe juvat, quid templa tueri?
Thura quid accenſis ſæpe dediſſe focis?
Quid coluiſſe artes? toto qui pectore Divos,
Artes qui coluit docta Minerva tuas;
Ecce jacet Fronto. Sed nec pietate movetur,
Nec timet iratos mors ſcelerata Deos.
Me miſerum! nec Muſa poteſt mollire furentem,
Sævior, & tumidis ſurdior illa fretis.
Non hæc defendit magnum ſophia alta Platonem,
Quemque malè extinxit trita cicuta ſenem:
Non quos ingenio celebres noſtra extulit ætas,
Quorum avido tellus nunc tegit oſſa ſinu.
Te quoque, te ſocium his Fronto non æqua dederunt
Fata, parem ſtudiis & pietate parem.
Cur tamen exanimem flemus, cur mœſta dicamus
Carmina, ſors ejus ceu miſeranda foret?
Qui nunc ſublimi Divum (fas credere) in arce,
Virtutis recipit præmia digna ſuæ;
Morte ſua felix. Non illum ad buſta per omnes
Morborum caſus lenta ſenecta trahet;
Non curæ atroces cingent, durique labores:
Non turba injuſto livida dente petet.
Non temni ingenuas bonus indignabitur artes;
Aut nimium doctis invida fata gemet.

Felix! tot vitæ ærumnis qui morte ſolutus
Securo carpit gaudia pura ſinu.
Si tamen eſt flendum, quotquot ſupereſtis amici,
Ah! potius veſtram plangite quiſque vicem.
Non ego tunc veſtros auſim compeſcere luctus
Non ego defleri talia damna vetem.
Improbet has quiſquam lacrymas, Academia tanto,
Quo ſtetit, æternum eſt cùm viduata viro?
Occidit Aoniæ decus & tutela palæſtræ,
Quo nemo ſtudiis clarior alter erat:
Fronto, decus Genovefæ, Heliconiadumque voluptas;
Cui quando inveniet docta caterva parem?
Fronto, qui totidem linguas, totidem ora movebat,
Pene quot in cunctis gentibus orbis habet:
Fronto, qui tantum librorum evolverat; ingens
Pene quot in nidis Bibliotheca capit:
Fronto Chriſtiadum rebus bene firma columna;
Errantum Fronto vis metuenda gregi.
Hoc tantum columen virtutum haud flebimus? ah! cui
Aſpera vel lacrymas fundere ſaxa reor.
Ipſi funeſto montes plangore reſultant;
Laurigerum extincto pallet honore nemus.
En quantos Helicon abſumpſit fletibus amnes:
Bellerophontei quò fugit humor equi?
Sed tamen & flendi modus eſt, nec ſemper inanem
Mœrenti curam corde fovere decet.
Hunc certè nunquam lacrymis placata remittet
Atropos, immoto ſtant adamante colus.
Quin potius, quæ multa animi monumenta reliquit,
Solamen noſtris accipimus lacrymis?
Parte ſui vivit Fronto meliore ſuperſtes,
Quà licet, invita nunc quoque morte frui.
Fas illum in libris etiamnum audire loquentem,
Doctrina illius ingenioque frui.

Cætera quis morti pridem devota requirat?
In terra jaceant illa caduca ſinu.

IN EJUSDEM EFFIGIEM Elogio præfixam.

EN etiam extincti vivunt in imagine vultus
Hacque tibi, Lector, pars quoque ſalva manet.
Quantum artes poſſunt? jam nunc Frontonis adempti
Cuncta vel invita cernere morte licet.
Ora petis? mira expreſſit Nantolius arte:
Facta? Lalemanni pagina docta refert.
Ingenium? dedit hoc variis cognoſcere libris
Quos vivens olim condidit, ipſe tibi.
Ergo Frontonem præreptum plangere, lector,
Deſine; quantulum id eſt, quod tibi Parca negat?

VIRI AMPLISSIMI GULIELMI MENAGII

In Senatu Andegavenſi regii Patroni

EPITAPHIUM.

POſtquam pallentes viſit Menagius umbras,
Andegavum ſiluit triſte repente forum:
Flebilis amiſſum ploravit ſuada parentem
Abjectis gemuit lancibus ipſa Themis.
Vixit. Sed mortis ſolamen grande reliquit
Heredem tanti nominis Ægidium.
Hic Patris egregii veſtigia nota ſecutus
Altiùs acceptum tollit ad aſtra decus.

AD SUAVISSIMUM, ET OMNIUM HORARUM AMICUM, CAROL. CÆSAR. BAUDELOT DE DERVAL,

Quod puellæ deſiderio æger Muſis vacare non poſſit.

JAMDUDUM metrico obſoleta luctu
Torpet blanda chelys tui ſodalis,
Amice: illa chelys tuo ſodali
Olim tam ad libitum parata dulces
Modis omnibus expedire chordas;
Otî fida comes, comes laboris;
Nunc triſtem ad dominum timet venire:
Quem deſiderium enecat puellæ,
Ignotis procul exulantis oris;
Iratumque ſuis (nefas) Camœnis.
Nimirum lepidos reperta in uſus,
Graves fundere non amat querelas,
Et ſævis animi intereſſe curis.
Mallet ludere quæ prius ſolebat
Muſcoſis Aganippidum ſub antris;
Ardentum juvenum vagos amores,
Riſus, nequitias, dicacitates.
At nunc illam abigunt mei dolores.
Nam ſi dulce aliquid ſonare tentat,
Irrumpunt ſubito mei dolores,
Durum! & queſtibus obſtrepunt canenti.
Quare deſine me rogare molles
Verſus, dulcis amice, quin ſodalem,
Si qua cura tenet, citus reviſe:

Qui ſolus mihi ſublevare curas
Jucunda potes allocutione.

AD SOMNIUM.

SEnſus relliquiæ breves ſepulti,
Proles poſthuma cogitationis,
Quam nox ſomniferis alit tenebris;
Et vena rigat influente ſomnus.
O poſt gaudia vera, poſt dolores;
Aut levis dolor, aut levis voluptas!
Ecquis te mihi, ſomnium Deorum
Immiſit miſerum novare vulnus,
Sopitaſque animi excitare curas?
Crudelem mihi cur refers puellam?
Invitamque mihi accubare fingis,
Et ſummos dare, quas negat favores?
An ut poſtea ſuſcitante Phœbo,
Cum notas repetes fugax latebras;
Riſus, nequitiæ, oſculationes,
Et quicquid modo dulce ſomniatum eſt,
Umbræ cum brevis inſtar evolarit;
Majores animum opprimant dolores.

ODE.

Quod aliis curis occupatus, mundi ſtrepitum, & caſus noſſe non curet.

SEu me dulciſono carmine detinet
Captum docta cohors, quæ bijugem colit
Parnaſſum, & placidis quas dedit ungula
Lymphas nobilitat choris.
Seu tranquilla juvant otia, fluminum
Mirantem ſonitus & nemorum comas,

Aut victæ ſenio rupis hians latus,
Muſcoſam Dryadis domum.
Seu mores puer hos Idalius facit,
Qui mî totum animum figit in Elide,
Et ſemper querulis vocibus incitat
Cordis vulnera conqueri.
Seu certo Genius fœdere, ſic meum
Sidus temperat; inſana negotia
Regum, terribiles Martis & exitus
Prorſus noſcere non placet.
Quæ mendacia nunc oggerat impudens
Famæ pagina, quæ prælia, quos duces
Narret; quot rapidas Boſphorus explicet
Armatas pelago rates:
Quid Rhenus metuat, quid Tagus aurifer,
Caſo quidve furens rege Britannia;
Summus viderit ille imperio pater
Qui terram & mare temperat.

IN NOVAM FULVII URSINI DE FAMILIIS ROMANIS EDITIONEM,

Caroli Patini Medici Pariſienſis

ſtudio adornatam, & novis inventis locupletatam.

QVo non ſagacis promptus ingenii vigor
Pervadit, & læta indoles,
Nutrita fauſtis rite ſub Penatibus,
Dulci Camœnarum in ſinu?
Magni parentis en ſequens veſtigia
Magno Patinus pectore,
Alta ſepultas nocte Romulidum domos
Ignota pridem nomina,

Longis

Longis latebris publicam in lucem eruit.
O cura mentis perſpicax!
Quæ Fulvius non vidit, audaci rate
Qui primus hæc vada impulit;
Profunda ſcrutans altius vidit, novum
Sacri medentium chori
Lumen, Patinus, cui receſſus ultimæ
Omnes vetuſtatis patent.
Agnoſce, Roma, Gallicæ hoc gentis jubar;
Agnoſce. Monſtrat en tibi
Tuos Quirites Gallus, atriis tuis
Novas refertque imagines.
Ergo perenni vindicem hunc plauſu ferant
Septena montium juga;
Tibris liquorem quaque diffundit vagum,
Nomen Patini perſonet.
At tu, per orbem fama quem recentibus
Secunda nunc pennis vehit,
Novis, Patine, perge quo Genius vocat,
Cœptis ad æternum decus:
Dum vota fervent omnium, & (quod maximum)
Dum teſtis aſpirat parens.

DE SAPIENTIÆ STUDIO; & ducibus, per quos ad ſcientiam itur.

Natura ambages, prætentaque nubila vero
Quid querimur? Juvat ipſe labor: juvat abdita mundi
Scrutari, & cauſas rerum tentare latentes.
Forſitan hoc fruſtra: ſed enim ipſum quærere dulce eſt;
Nec tenue audentes ſequitur decus: ardua cœpta
Miramur, quibus & curſus fortuna ſecundos
Abnuit. Optatos non ſemper navita portus

Appellit: parat ire tamen, perque æquora ponti
Vota ferunt cæcas non exaudita carinas.
Scilicet in terris hominum ſpes omnia verſat,
Omnia ducit amor: qui ſi quos fallit amantes,
Nec patitur ſatiare animum, votiſque potiri;
Non tamen his nulla eſt, quod amant, ſperare voluptas.
Haud aliter nos ducit amor, totumque per orbem
Didita, ſupremæ ſequimur veſtigia formæ.
Hanc petimus: quid tum, nobis ſi cernere totam
Non datur? At tenues certè juvat inde figuras
Captare, & docta veri luſiſſe ſub umbra.
Sic veteres luſere Sophi: ſic dogmata & artes
Inventa: poſſunt homines, quia poſſe videntur:
Aut nata, aut naſci viſa eſt ſapientia mundo,
Dum ſibi quiſque placet, nec eodem tramite fertur.
Sed ſi naturæ ingreſſum penetralia nondum
Se quiſquam jactare poteſt: veſtigia certè
Deprenſa, atque aliquem vidiſſe ex agmine tanto,
Quæ ſit recta via ad verum & monſtraſſe putandū eſt.
Nec vanis luſiſſe operam conatibus omnes:
Si non hæc temere eſt nobis injecta voluntas,
Nil fruſtra natura parens molitur in orbe.
Nam ſi nulla poteſt humana induſtria tutam
Diſcendi reperire viam, incaſſumque labores
Suſcipimus, nec ſpes ullos decerpere fructus;
Quid ſtudium iratis tentamus inutile Divis?
Præſtet enim vigiles aliò convertere curas.
Seu placet Eois felices mercibus Indos,
Aut Arabas petere, & rapidis dare carbaſa ventis.
Seu ſpolia audenti, & ceſſuras fortibus armis
Monſtrat opes fortuna, & ſævos Martis honores.
Nec legum ambages, & inexplicitos labyrinthos
Induxiſſe foro pigeat, liteſque nefandis
Æternare dolis, hominumque armare furores.

Quin potius, quod fraude vacat, verſemus aratro
Tellurem, ac verſis mandemus ſemina campis,
Omnis in hoc curſum conſumat vita labore;
Quo læta ſurgant ſegetes, quo Bacchus inundet
Prela, & pampineo diſtendat nectare cellas.
Quæ tamen hæc tam cæca animos inſcitia tardat,
Ut vitam pecudum ritu, ſatis eſſe putemus
Ducere, ad hæcque homines tantum ſervilia natos?
Non potius numero ex illo, cœtuque Sophorum,
Qui placeant magis, & quantum diſcrimen in illis
Spectamus? Neque enim potuere excellere cuncti,
Nec rudibus nati ſeclis aſſurgere tantum
Quantus Ariſtoteles cæli ſe tollit in oras.
Ante illum qui primùm aggreſſi cædere vepres,
Et purgare viam ſophiæ quæ ducit ad arces;
Informes penitus ſilvas atque avia nacti,
Erravere diu incerti, quo tramite greſſus
Inferrent, cum nondum illis foret ulla priorum
Cognita, quæ dubias deduceret orbita mentes.
Multa adeo primo ingreſſu ſunt aſpera paſſi:
Sentibus hinc vetiti ulterius procedere, vaſtis
Hinc ſcopulis: denſaque ſuper caligine fuſa,
Quæ proſpectum illis adimebat euntibus omnem.
Tum varia ancipites animos objecta per umbram
Ludebant ſimulacra modis volitantia miris.
Qualia ſopitis offert ludibria Morpheus,
Et varia errantes illudit imagine ſenſus.
Tanta molis erat fugientem indagine certa,
Naturam capere, & veras deprendere leges.
Nec metam potuére igitur contingere: ſolum
Prima rudimenta, & timidos in luce maligna
Signavere gradus: donec volventibus annis,
Magnus ab Æmathiis ſacrum caput extulit oris
Doctor, & antiquas potiori diſpulit umbras

Lumine. Hic eſt nobis (ſi mens non læva) ſequendus,
Qui potuit ſolus doctorum ex agmine tanto,
Pandere res naturæ alta caligine merſas,
Erranteſque animos vanis exolvere curis.
Nec refert, quod nunc pauci (nam dicere verum
Quid vetat, & ſecli infandos aperire furores ?)
Heroem eximium, melior quem cœtus adorat,
Ferre queunt : neque enim his ſtudiis mens omnibus apta,
Fulgoriſque capax tanti : quæque auſpice tanto
Senſibus offuſam nubem removere laboret.
Nam velut admota radiantis lampade Phœbi
Bubones offenſi, in apertam erumpere lucem
Non audent, maluntque ſuas habitare latebras;
Noctis amica cohors : ita nunc perculſa recentum
Turba ſophiſtarum divini ad dicta magiſtri
Caligant, fugiunt lumen, tenebraſque repoſcunt.
His lateant, ſtultiſque fruantur plauſibus. At nos
Quandoquidem fatalem animis depellere morbum
Non opis eſt noſtræ, nec tanto obſtare furori;
Turbam infelicem miſerati, haud ſecius illi
Heroi magno meritos reddamus honores :
Spargamus tumulo flores, ſacriſque litatis
Tendamus quo monſtrat iter, ſi tanta cupido eſt,
Naturæ, verique, & in his traducere vitam
Fert animus; fragileſque hominum contemnere curas.
Muneris hoc, regina, tui, ô quæ me æthere ab alto
Reſpicere Aonidum è cœtu dignata Sororum,
Cùm primum dulces prorepſi in luminis oras;
Quæcumque es, cura ingenii cui credita noſtri,
Tu mihi ſic ipſo finxiſti pectus in ortu,
Ut vero obductam cuperem perrumpere nubem,
Naturamque ſequi, & naſcentum diſcere cauſas:
Cætera præ ſtudio hoc ſorderent : non mihi rauci
Eloquium venale fori; non ulla togata

Præmia militiæ; non vanis excita curis
Ambitio, incertos vulgi dum captat honores,
Cordi eſſent; una in rebus Sophia, una placeret
Libertas ſtudiorum haud ulli obnoxia vinclo:
Quæ me ad ſupremum directo limite numen
Duceret ipſa, operum veſtigia nota ſequentem.
Quin etiam ut Stagiræ ante omnes mirarer alumnum
Auctor, Diva, fuiſti; ipſa viri mihi ſenſibus imis
Occultum inſpirans voluiſti accendere amorem.
Ex quo pene puer magni doctiſſima caſu
Sum nactus monumenta viri, quem credere fas eſt,
De ſtirpe heroum cretum, Verona, tuorum,
Scaligerum Æmathii decus immortale Lycei.
Ut primum hunc vidi, ut foliis defixus ocellos
Obſtupui! quibus ingentem in certamina dictis
Cardanum vocat, & docto ſe in pulvere verſat.
His tum me primum illecebris ſapientia cepit,
Accenditque animum vitæ melioris amore.
Tunc primùm quis Alexander, quantuſque magiſtri
Interpres, quantuſque Themiſtius, altera lampas
Doctrinæ, miram jactans per pectora lucem,
Noſſe datum eſt: non Simplicium me evolvere totum;
Non illum ſtudii immodicum, invictumque labori,
Quo cive exultat gens fortunata Canopi;
Non alios piguit, magni quibus una magiſtri
Cura fuit placita, & fortes exolvere nodos.
Tunc adeo & ſuus ante omnes quem Bætis amavit,
Eductum ripis; quem Corduba jactat alumnum,
Ductorem ſe diu Averroës obtulit: & quem
Bactra tulere virum: quotquot Libye inclyta latis
Præſtantes aluit fundis; cùm magnus in illis
Jura daret terris Manſor, totaque fugatas
Europa Aonidas bonus in ſua regna vocaret.
Omnes cura fuit legere: hinc mihi pectora ſacris

Fœta opibus, poteramque ingentes condere libros;
Et poſſum (neque enim edendi ſpes omnis adempta eſt,
Idem ardor manet ingenio, idem ſpiritus, olim
Qui me inflammabat, tunc quum melioribus annis
Gliſcebat calidus circum præcordia ſanguis)
Si fortuna diu votis adverſa reviſat.
Sed Deus ille hominum è cælo qui fata gubernat,
Viderit. Indocti non me ſuffragia vulgi
Vana movent: tumida faſtus mihi diſplicet aula.
Quis ſacras animi quas porto à Pallade merces
Inſpicere, aut tantos valeat penetrare receſſus?
En erit ut quiſquam dictis non invidus aures
Applicet? Infauſto ceu tacta ſidere mentes
Ægrotant, ſolida & vanis ſtudia undique nugis
Cedere coguntur. Sic nobis omnia fatis
In pejus ſublapſa ruunt; contraque reſurgunt,
Quæ fuerant juſta penitus convulſa ruina.
Quicquid erit nunquam hunc Sophiæ impendiſſe laborem
Dotibus & pectus tantis ornaſſe pigebit.
O vita! ô paucis hominum conceſſa voluptas!
Quam bene culta ſuis ſapientia præbet alumnis.
Felix qui tacitis Muſarum ignotus in antris
Naturam inſpectat rerum, varioſque meatus
Aſtrorum, & ſuperis comitem ſe mentibus addit.
Non illum ambitio effrænis, non inſcia veri
Fama movet: non ulla latentem externa fatigant:
Intus habet bona vera, haud ulli obnoxia gyro
Fortunæ: liceat reliquum traducere vitæ
His ſtudiis; ſic magnum olim vixiſſe Platonem
Accipimus vulgi ſtrepitu procul. Hic lare certo,
Et modici ſpatio nemoris contentus & umbra,
Regum æquavit opes animis. Hanc & prius ingens
Vitam Heraclitus patriis in montibus egit,

Agreſtes inter Nymphas, pecorumque magiſtros.
Tuque adeo monſtrata poli cui ſidera nomen,
Prima ſui puppes debent moderamina curſus
Portubus è Tyriis, uno ſuſpenſus Olympo
Vixiſti, grandes volvens ſub pectore curas.
Quid Samium tibi doctorem, ſanctoſque receſſus
Commemorem? Quid Democritum? Et quem crimine falſo
Damnatum à vobis, ſero abſolviſtis, Athenæ?
Quid te, magne Plato, decus immortale Sophorum,
Socraticos inter ſtudiis memorande ſodales;
Quos tantùm eloquio exuperas & pectore celſo,
Quantum præpetibus pennis aquila alta columbas.
Nunc cui mens tanto obſtupuit defixa veterno,
Ut non laudibus his ab humo ſtimulata reſurgat;
Nec ſe ſublimes conetur tollere in auras?
Ecquid enim fortuna ſuis promittere tantum
Aut præſtare queat cultoribus? Omnia ut illis
Annuat; ut villas, famulos, prætoria, ſummas
Præſtet opes, celſam ut nectat diademate frontem:
An tamen hæc humiles ludo ceu jacta Deorum
In terras, nobis quiſquam perſuadeat auctor
Eſſe animi potiora bonis & pectore puro?
Ne tamen ah! ſolo ingenii capiamur amore:
Neu fama nos dulcedo, plauſuſque ſequentum
Decipiant: non hæc tanto ſatis æqua labori
Præmia: longè alios virtus ſibi poſcit honores.
Altius ætherias animum attollamus ad arces,
Ultra annique vias, & Phœbi trita quadrigis
Signa, ipſum rerum auctorem dominumque ſequamur.
Huc nos ſi ſapimus, ducant inventa Sophorum,
Serviat ut ſacris ratio, rerumque potentem
Oſtendat natura Deum, qui ſolus amantum
Corda explere poteſt, ſolus ſuper aſtra receptis.

Quod petimus præſtare bonum, largaſque profundæ
Mentis opes, totos naturæ aperire receſſus.
Quippe hunc cernentes, vis & genus omnibus unde eſt,
Omnia cernemus ſine nube, erimuſque beati.

AD MUSAM,

DE MIRABILI INGENIO, DOCTRINA, & operibus Julii Cæſaris Scaligeri.

QVid me ſecretis antrorum, Muſa, latentem
Pumicibus, tantos adigis luſtrare receſſus?
Victriceſque ævi ſapientum evolvere chartas?
Julius ecce unus ſacro me Scaliger æſtu
Ingenii rapit: & mî ſenſus eripit omnes,
Miranti varias divini pectoris artes,
Doctrinæque altum pelagus, mentemque profundam.
Ah! quæ illi & quanta aſpirans monſtravit Apollo,
Poſtquam illum duris feſſum revocavit ab armis!
Non equidem invideo, donis ſuperûm ille fruatur.
At mihi cur eadem divinæ munera mentis
Invidit natura parens? cur me fugit ardens
Vis animi? cur tota ſequi veſtigia laudis
Non datur, & tantos animis æquare labores?
Aſpice, ut innumeris pollens virtutibus heros
Muſarum ingentes qua pandit Græcia campos,
Torrentis de more ruit, curſuque ſonanti
Omnia tranſcendit famæ monumenta prioris;
Omnia fert ſecum, ac vulſis radicibus omnes
Fert capiti lauros, palmas ſibi vindicat omnes.
Seu Sophiæ decora antiqua, ſummique magiſtri
Mentem aperit, pugnatque graves diſſolvere nodos,
Et lumen dictis adhibet, pellitque tenebras
Sedulus, atque ipſos vocat in certamina divos:

Seu magno Hippocrati meritos perſolvit honores :
Seu geminas æquo tollens examine lances,
Pieriis dat jura choris, palmaſque miniſtrat ;
Aut ſacra indoctos deturbat ab arce Poëtas.
Seu latiæ cauſas ſollerti indagine linguæ
Ignotas priſcis aperit, triſteſque priorum
Grammaticum cogit vulgus dediſcere nugas :
Tum quà deſcendant, demonſtrat origine voces :
Carmina ſeu ludit longum victura per ævum.
O mentis decus inſolitum ! ſacer ingeniorum
Fons ! hunc Mæonides titulum tibi cedat Homerus.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

NICOLAUM NICOLAI,

Cum ei reſtitutum muneris ampliſſimi uſum gratularetur.

SI poſtquam evaſit, dulcique potitus arena eſt
Navita, præteritos gaudet memorare labores ;
Si narrare vices bellorum & vulnera miles,
Caſus quiſque ſuos ; & te (nunc omnia quando
Læta tibi) gentis decus immortale togatæ,
Laodama, fortè illius meminiſſe juvabit
Turbinis, & nimium certè meminiſſe neceſſe eſt ;
Qui te improviſo nuper nil tale merentem,
Correptum fluctu abripuit, notiſque revellit
Sedibus ; heu ! ſuperos fruſtra obteſtante Senatu ;
Qui te magnanimi ſub præſide, principis acta
Omnia, totius verſat tabularia regni.
Ex illo viſa attonitis tua tempore virtus
Effulſiſſe magis populis : ſic vivida motu
Gliſcit flamma magis, flabriſque animata coruſcat.

Non aliter terris, plena quæ luce latebant,
Sidera nocte patent, dumque umbra involvit Olympum,
Explicat, & preſſos oculis inſtaurat honores.
Continuò patres, dejecti præſide tanto,
Quem decuit triſti ceperunt corde dolorem;
Incertique diu, quid turbida fata pararent,
Mille graves dubio volverunt pectore curas.
Quinetiam magno concurſu ad regia tendant
Limina, teque ſuum columen, lumenque repoſcant;
Ullis ſi ſperent monitis ſine more frementes
Exorare Deos: ſed enim trieteride tota,
Exercendus eras: nec ſi veſana repente
Tempeſtas motu in primo compreſſa quieſſet,
Illa tuæ mentis terras memoranda per omnes
Vis perſpecta foret. Superas nam quantus ad arces
Tollit Atlas ſublime caput, flatuque perenni
Ventorum fruſtra impulſus latera ardua pandit,
Et cæli immotus ſpectat quos ſuſtinet ignes:
Tantus in adverſos invicto pectore caſus
Niteris, attolliſque animos, perferre paratus
Omnia. Dum trepidant alii, dum tempora culpant,
Dum mores, labemque aulæ execrantur & artes:
Tu quem nulla poteſt duræ inclementia ſortis
Vincere, ſedato ſpectas coeuntia vultu
Nubila, & irato gliſcentia murmura cælo.
Tunc vetitus tractare negotia publica, rebus
Ipſe tuis mentique vacas: tunc otia nactus,
Villarum pacem ſequeris, dulceſque receſſus.
Illic ſemotum mulcet non una voluptas.
Nam modo cum duris venatibus otia miſces:
Nunc libris condis ſoles: modo carmine blando
Laſſatam reficis mentem, alloquioque virorum
Doctorum; aut nemorum ſolus meditaris in umbra
Quod juvet, & temet frueris: volat ardua cælo

Vis animi, & celſas regum ſupereminet arces.
Talem urbis ſtrepitu procul, officiiſque clientum
Ducebas vitam in ſilvis, ſecurus honorum,
Oblitus procerum, & ſemper variabilis aulæ.
Sed tua non poterat varias ſpectata per artes
Preſſa latere diu ſuſpenſo munere virtus.
Tandem laudatis ceſſit malè ſuada libido
Conſiliis, tandemque dolis rex ipſe repertis
Te Dryadum è lucis ſcripto revocavit in urbem,
Muniaque exceptum blande, ad conſueta remiſit.
Extemplo nova lux oculos, nova gaudia mentes
Diffudere tui reditus: tuaque inclyta virtus
Caſibus exhauſtis meliori lumine fulſit.
Tunc proavi, decus antiquum, veſtraque recurſat
Gentis honos; reddit illa tuæ vis cognita mentis,
Illaque Neſtoreâ dulcis facundia linguæ,
Cui rex è ſolio toties, ſtupefactaque juſtos
Aula dedit plauſus; dum fundis pectore docta
Dicta, nec Arpinis cedentia: tantus in illis
Splendor ſe verborum aperit: quaque omnia ſupra
Incorrupta fides, & inexorabile pactum
Virtutis, quam nec regum promiſſa, nec iræ
Impulerint quoquam polluta inflectere jura.
Talia certatim cives tibi pignora amoris
Dant reduci, meritaſque ferunt ſuper æthera laudes.
Quod ſi inter latas voces, procerumque frequentum
Officia, inque tuo luctantes limine currus,
Cultorem admittis parcum è nemoralibus antris
Caſtaliæ, modulos nec dedignabere; poſſim
Huc tibi Pierio deducere vertice Muſas;
Quæ poſtes, frontemque tuam, ſanctumque tribunal
Floribus æternis ornent, & Apollinis umbra.

LUNAM ET RELIQUA ASTRA
lucubraturus compellat ; ac ſcriptorum immortalitatem optat.

ALma Soror Phœbi, voſque alto in vertice mundi,
Sidera pervigiles ducere docta choros :
(Vos etenim occultas latè diffundere vires,
Humana & radiis corda ſubire ferunt)
Si merui, nec me Aonidum deſerta ſequentem
Sancta cohors vanis detinet illecebris ;
Dirigite huc oculos, noſtroſque accendite ſenſus ;
Ne nimius tardet pectora victa ſopor.
Et facite Aoniis meditor quodcumque ſub antris,
Donec vivetis, non moriatur opus.

INSCRIBENDUM
Luparæ Frontiſpicio.

GAllorum in melius qui rettulit omnia, magnus
Hic habitat LVDOVIX, *jam meliore domo.*

DE URBIS MAGNITUDINE.

CReſcentem ſine fine urbem, populiſque frementem
Pariſidum ætherius cum pater aſpiceret ;
Omnibus impoſui, dixit, numerumque, modumque,
Uni Lutecia ponere fata vetant.

DE FAMA.

FAma ; malum, cecinit divini Muſa Maronis,
Quod damnat vates, optat habere malum.

DE HOMINI EXPETENDIS ET ORDINE bonorum ex priſcorum Monumentis.

IN rebus mihi ſanitas videtur
Et primum ordine, & optimum bonorum;
Hanc primis mihi dotem adeſſe votis
Optem, ſi ſapiam: ferat ſecundas
Decus corporis, apta pulchritudo,
Mirum quæ parit æmulis favorem.
Laus ſit tertia, divitem eſſe: quarta
Ætatis breve ver, pareſque amici.

NON ESSE ASPERNANDUM ancillæ amorem.

ODE.

DItes puellas nobili editas ſatu
Alius amet: me candido
Ancilla vultu detinet cupidine
Non pœnitenda ſaucium.
Num pœnitendus eſt amor, quem tot duces
Claris triumphis nobiles,
Olim probarunt, ipſe nec ſummo Hercules
Natus Tonante deſpuit?
Invictus ille ſemo quem fecit Deum
Bis ſex bonos laboribus,
Iolen amavit: dominum & ancilla Venus
Grata ligavit compede.
Quid? Non ferocem ſerva Briſeis virum,
Submiſit Æaciden jugo?
Aiaxque famulæ præda Tecmeſſa fuit
Spoliiſque paruit ſuis.

IN RUFAM QUÆ CÆCO NUPSIT.

DEſine, Rufa, tuo nuptam te dicere cæco;
Uxorem cæcus ducere nemo poteſt.

IN ANUM DEFORMEM.

OMnia jactet amor ſibi ſubdita: non tamen illum,
Caſca, putem vultus vincere poſſe tuos:
Non rugas vietoſque artus, mammaſque cadentes;
Non quas infecit cana ſenecta comas.
Humenteſque oculos, viduataque dentibus ora,
Non ſputa in madidos tuſſe rejecta ſinus:
Non naſo aſſiduè ſtillantem infante coryzam;
Quodque fugat nares, virus amantis equæ.
Hæc non vincit amor, totum qui legibus orbem
Subjicit, ille omnes qui domat igne Deos;
Sed trepidus quoties talem te, Caſca, tuetur,
Abjicit illecebras, vincula, tela, faces.

IN CHRYSIPPUM MEDICUM.

POſtquam aliquem infernas Chryſippus miſit ad umbras,
Naturam queritur non valuiſſe ſatis.
Hem! cui tam firmum tribuit natura vigorem,
Chryſippe, ut nequeat te jugulante mori?

IN FUREM CELERI FUGA ſe proripientem.

QUi ſe Mercurium furandi prodidit arte,
Mercurium alato ſe quoque crure probat.

DE VINI TEMPERIE.

NEc mihi lympha placet nulli permixta Lyæo,
Bacche, mihi gelido nec ſine fonte places.
Nam mihi cortecum niſi mixta non ſapit unda,
Et ſine te cordi non ſapit unda meo.

IN MAUSOLÆA.

ARdua regali tolluntur marmora faſtu,
Ponderibuſque premunt oſſa ſepulta ſuis.
Heu! miſeri manes, non poſſum dicere vobis,
Terra ſit iſta levis, molliter oſſa cubent.

AD AMARANTAM PUELLAM.

QUid tantum abſcondis niveas, Amaranta, papillas?
Non dedit ut condas hæc tibi poma Venus.
Ipſa dolent, quod non optata luce fruuntur:
Quod non his fruitur, luminis ipſe pater.
Sed magis invidiam cupidi indignantur amantes;
Dulce quibus promptum non ſinis eſſe decus.
Si tam pulchra premi nimium eſt; at lumina ſaltem
Admitte, excluſas ſit ſatis eſſe manus.

IN ANUM CUI NOMEN VITIS.

EST quædam, tectum non longè à mœnibus urbis
Quæ colit exiguum, nomine VITIS anus.
Non illi hoc nomen ſortis temerarius error
Attulit, ut multis: nomine digna ſuo eſt.
Vitis ut intorta eſt, nodoſaque brachia curvat;
Sic terram incurvo corpore ſpectat anus.
Ut ſtirpem infirmam vitis frondentibus ulmis;
Sic baculo corpus debile fulcit anus.
Vitis amat colles, & ſaxis gaudet apertis:
Colli gibba ſuo ſemper adhæret a.nus.

Squalenti vitis, ſcabroque eſt ſtipite; rugis
Haud aliter totum eſt aſpera corpus anus.
Interea grandi inter ſe diſcrimine pugnant
(Vndique ut in rebus nil ſimile eſſe poteſt.)
Tabeſcit Vitis proprio perfuſa liquore;
Emoritur ſemper ni bibat iſta merum.
Altera fœcunda eſt genitrix vini; altera mors eſt:
Illa merum terris exhibet; iſta rapit.

IN LUDOVICI HENRICI

LOMENII BRIENNÆ COMITIS, Regi à Conſiliis itinerarium.

L*Omenio patrias olim cùm linqueret oras,*
Viſurus gelida martia regna plaga;
Aonidum fertur dulcis comes ipſe caterva,
Omne iter & propria facta notaſſe manu.
Res probat. Hic ille eſt quem nunc mirata libellum
Doctorum mittit fama per ora virum.
Perlege, lector, opus dignum ipſe fatebere Muſis,
Mortali ſcribi nec potuiſſe manu.

LUDOVICI

LUDOVICI MAGNI

GALLORUM REGIS CHRISTIANISSIMI,

ET

MARIÆ TERASIÆ AUSTRIACÆ

EPITHALAMIUM.

Ad Julium Mazarinum.

NEMPE juvat fudiſſe preces, nec inania ſurdos
Prenſant vota Deos: quod tantùm oravimus omnes
Annuitur; fugit excuſſo Bellona flagello,
Et Divûm imperiis feſſo datus arbiter orbi
Julius, *æthereo pacem deduxit Olympo.*
O pluſquàm humanis pollens virtutibus heros,
Qui potuit tantos rerum componere motus,
Quique metus omnes & inexaturabile bellum
Subjecit pedibus victor, Martiſque cruenti
Vinxit inabrupta furialia membra catena.
Quod ſupereſt, meriti fauſtis referantur honores
Numinibus: tu mortiferis erepta procellis
Prima ſalutifero grates perſolve miniſtro,
Gallia, perpetuumque decus; tecumque revinctâ
Feſta fronde comas, auctorem pacis in aſtra
Ore ferant populi; quà ſol attollit ab Indo
Flammiferos currus, & gurgite condit Ibero,

Quaque obliqua rotis rapidis veſtigia torquet;
Quando hæc in totum veniet concordia mundum,
Atque omnes operum tantorum exempla ſequentur.
Voſque adeo ſola factis quæ præmia tantis
Digna referre Deæ, meritumque æquare poteſtis,
Caſtalides; cujus deinceps pietate licebit,
Tuta ſub umbroſis velut ante agere otia ſilvis,
Et tereti argutas impellere pollice chordas;
Solennes heroi aras Helicone ſub alto
Ponite, frondoſo ſanctus qua vertice torrens
Volvit inexhauſtos per devia teſqua liquores.
Illic purpureos, Parnaſia dona, quotannis
Spargetis flores, vatum plaudente caterva;
Cum Zephyrus blandos facilis revocare tepores;
Præpetibus ſata læta ſupervolitaverit alis.
Illic, egregiis faveant modo Numina cæptis,
Gratus & ipſe novos flores, ipſe annua vota
Rite feram, miſtuſque choreis carmina fundam.
Interea fauſtos Regis dicamus amores
Borbonidæ regis, claros quibus ille triumphos,
Victrices placida lauros mutavit oliva.
Tu mihi Calliope, (tumidos en undique fluctus
Æquora, luctantes poſuerunt murmura venti)
Altiùs aſſurgens, tantarum exordia rerum
Diſſere, quoque modo novus expugnaverit ardor
Invictum LODOICI *animum, addideritque puellæ:*
Ipſa ades & vatis celeres rege dicta per auras.
Et tu dexter ades, JVLI, *dum maxima canto*
Gaudia Franciadum, quorum tu maximus Auctor:
Tu pacem exilio è longo, tu læta reduxti
Tempora, tu nitidos pulſa caligine ſoles.
Tu mihi nunc Heliconiadum freta læta ſecanti,
Da faciles in vela auras, curſumque ſecunda.
Alma Venus longo mentem turbata duello,

Sæpe graves hominum voluit ſedare tumultus,
Et meritò : quid enim magis interpellat amores,
Otia quos, luſuſque fovent ? ſed & axe micanti
Dum ſedet, & currus ſolis comitatur ovantes ;
Deſpiciens terras (facinus lacrymabile) primis
Gaudia rapta toris, imperfectoſque Hymenæos
Cæde virûm, & flentes ſæpe eſt miſerata puellas.
Quid faceret ? non illa furens agat æquore toto,
Turbatas dirimatque acies. Fas aſpera tela
Fas odiſſe Deum pugnas, ex quo impius illi
Mollem ſacrilega laceravit cuſpide dextram
Indomitis ardens animis Calydonius heros.
Sed neque conſiliis reges placare ſuperbos,
Bellorum aut veteres potis eſt extinguere cauſas :
Non ea vis Paphiæ ; teneris modò flectere ſenſus
Illecebris, dulceſque animis immittere curas.
Ergo expectabat verſo dum tempus amicas
redderet orbe vices. Id poſtquam munere IVLI
Perfectum eſt, placidas vocat ad juga ſueta columbas,
Idaliumque nemus celeri contingere pennâ
Imperat ; hæc illi ſedes gratiſſima terris.
Illic ambroſia diſtenti, nectare multo
Diſcurrunt pueri per mollia prata volucres,
Dulce miniſterium Divæ : pars lilia carpunt
Pubenteſque roſas ; his candida colla, comaſquē
Impediunt, his fulgentes (ea cura) pharetras.
Pars in gramineis ineunt certamina campis
Quis melior ſinuare arcum, cui certior arcus,
Quis liget amplexus, aut preſſius oſcula figat :
Quis faciles artus molli verſare chorea
Doctior, aut jactum ſaltu ſuſpendere corpus.
Pellucent alii formoſi fontis in unda,
Immerſique vadis lenta face Naidas urunt.
Aſt alii plectro voces modulantur eburno,

Furta Deûm, magnique Jovis perjuria narrant,
Et quoſcumque ipſi mundo fecère furores.
Innumeris circum reſonat concentibus aër,
Luſibus innumeris, quos nondum carmine quiſquam
Comprendit: quis enim luſus numeraret Amorum?
Ut Venus acceſſit, pennato ex agmine natum
Sevocat, & blandis compellat vocibus ultro.
Magne puer, mea vis ingens, majorque poteſtas,
Quàm ſi ſceptra tenens Juno quæ maxima torquet;
Quæque Deûm pater ipſe, manu Titania mittam
Fulmina, & ipſa meo quatiantur ſidera vultu.
Tu mihi, tu cælum ac terras, hominesſque Deoſque
Subjicis, in totum extendis mea numina mundum,
Et ſacrata mihi tercentum altaria fumant
Igne tuo. Sed enim quid tanto altaria faſtu
Structa juvant, ipſos flammis quid vincere Divos;
Impia ſi ſemper mea gaudia turbat Erinnys,
Semper & immites meditatur Gallia pugnas
(Gallia quæ noſtra Reges ſibi duxit ab Ida)
Atrocem contra Heſperiam: crudelia facta
Quid referam, largo fumantes ſanguine campos.
Ah! quoties triſtes cupiens depellere curas,
Projice tela manu; dixi, mea Gallia, neve
Pulcra tibi turpi maculentur lilia tabo:
Illa ferox, clariſque animos elata triumphis,
Projicere arma negat, dumque illi cedere, pugnis
Tot ſuperatus Iber, ſed ut hydra animoſa reſurgit,
Vulneribuſque ſuis, & ſecto corpore pugnat.
Ecquis erit tandem finis, quæ meta laborum?
O utinam poſſem vinclo ſociare jugali
Diviſas bello gentes; ea ſola ſaluti
Prona via eſt; nunc quæ menti ſententia ſurgat,
Percipe. Præclara noſtrorum è ſtirpe propago
Heroum, primo florens Lodoicus in ævo,

Gallica ſceptra tenet: non illo pulcrior alter
Aſcendit ſolium, fulgentiaque induit arma.
Illum ego naſcentem excepi, fovique benigno
Alma ſinu, nunc urget equos, nunc prælia poſcit
Oblitus noſtri, & claris petit æthera factis.
Hic tibi gnate domandus, & eſt quem candida blandis
Devinctum illecebris poſſit retinere puellâ.
Perge modò & primos animis accende furores.
Jam mihi, quam cupiat, parta eſt, regum inclyta proles
Dia Tereſa, Tago multùm celebrata potenti,
Heſperias inter Nymphas notiſſima forma.
Quid referam mores? Non illam caſta pudore,
Delia, non animi ſuperet Tritonia cultu,
Illam ego nec vultu (liceat modò vera fateri)
Tales ſidereis radios jaculatur ocellis:
Felix cui tali continget Nympha marito.
Is Lodoicus erit, ſi quid te nunc mea, ut ante,
Flectere vota valent. Agedum hunc mihi, nate, laborem
Perfice: tam fauſto jungantur fœdere gentes;
Tange animos, & cum juvenis flammaveris artus,
Mox etiam AVSTRIACÆ *mentem ſubmitte* PVELLÆ.
Sic opus eſt, LODOICVS *amet,* LODOICVS *ametur.*
Dixerat. Ille Notos (matris ceu juſſa morentur.)
Increpat, & cælo jam ſe committere geſtit.
Jam celeres humeris candentibus explicat alas:
His rapidus maria, ac terras, cælumque profundum
Pervolat, & forti naturam ſubjicit arcu.
Tum capit arma manu, faculam, celereſque ſagittas,
E quibus unam acie, qua non penetralior ulla eſt,
Seligit: hac Divûm cæleſtia numina figit
Improbus, in variáſque jubet tranſire figuras.
His telis inſtructus abit: quacumque volatum
Dirigit, abſiſtunt liquido vaga nubila cælo:
Uſque ſub extremum ſummæ vertiginis axem

Inſolitum ferit aſtra jubar, laxata rigentes
Temperat Vrſa plagas, urget ſua plauſtra Bootes;
Et nova Saturni perfundit gratia vultus.
Illum adeo rapidis tranſvectum culmina pennis
Alpinæ ſenſere nives, tactiſque repente
Defluxere jugis: Satyri, Dryadeſque puellæ,
Quæ ſuper hos retinent frondoſa cubilia montes,
Regina nemorum, gelidâ mirantur in Alpe
Inſolitos flores, interque immania ſaxa,
Pubenteſque roſas, & lilia miſta rubetis.
Ipſa, volente Deo, manſueſcit torva ferarum
Ingluvies, ponunt rabioſi murmura rictûs,
Solaque ſecuræ pecudes per teſqua vagantur.
Sed neque tam rapido volvendus in æquora curſu,
Inter ſaxa fremens Rhodanus ſua flumina torquet,
Nec tam lentus Arar ſubito ſeu fixa veterno
Stagna dat in Rhodanum morientia: mitigat illum,
Hunc inſtigat amor, fervent fonteſque, lacuſque,
Riparum faciles ludunt per gramina Nymphæ.
Aſt illum ut vitreo reſidens proſpexit ab antro
Sequana, perſpicui trans vela liquentia fundi,
Continuò lætis (nec enim hunc præſagia fallunt)
Invitat ripis, nec dedignatur honores
Blandus amor, ſequiturque amnem plaudentibus alis
Involitans: qualis fluvios pervolgat hirundo
Vere novo, raditque vagis anfractibus undas.
Cætera quid memorem? divinâ ut cuſpide fixus
Senſerit in medio gliſcentes pectore flammas
Bellator LODOICVS, *& ut loca ſola querelis*
Pulſanti, fixam alloquitur dum mente THERESAM,
Vmbroſis nemorum è latebris reſponderit Echo.
Exin frondoſa ſuperat juga celſa Pyrenes,
Fulgentemque vadis fluvium, & regnata PHILIPPO
Arva petit. Vixdum ingreſſus; converſaque gentis

Undique jam patrios deponunt corda tumores,
Triſte ſupercilium cadit: ut jactata procellis
Æquora, cùm vaſtos tollunt ad ſidera montes,
Impellente Noto, denſas, ſi fortè per umbras
Oebalii fulſere ignes, tumida unda recumbit
Protinùs, & celeres repetunt ſua clauſtra procellæ.
Iam magis atque magis damnoſi incendia Martis
Infractos terrent animos, tædetque laborum
Tantorum; tumulos inter Libitina frequentes
Torva ſedens, longique oſtentans oſſa duelli
Admonet, hinc triſtes emittunt pectore queſtus;
Et paſſim ſua fata gemunt, vox omnibus una:
Ergóne perpetuùm facibus Bellona cruentis
Impellet cæcas in mutua funera gentes?
Ah miſeri! malus aſſiduè quos hoſtibus error
Objicit indomitis, quæ ſpes, quis deinde furoris
Exitus, adverſis fatis quid denique reſtat?
Ipſamne Heſperiam ut victor felicibus armis
Irrumpat LODOICVS, *inundans ſanguine fines?*
Hæc paſſim inter ſe muſſant, ſuper improbus ægras
Frangit amor mentes, flammiſque ſequacibus inſtat.
Acriùs at cunctis virgo dilecta potenti
BORBONIDÆ, *parili jamdudum ſaucia curâ*
Veſanas acies, funeſtaque devovet arma.
Non illam fulvo radiantia tecta metallo,
Deliciiſque referta domus, non læta virentes
Germina per ſilvas, volucreſque, amneſque ſonori
Permulcere queunt, fruſtra modulamina chordis
Dulciſonis fundunt citharæ; nil carmina proſunt,
Nil epulæ, aut ſeri nocturna ad lumina cœtus.
Omnia pervadens vincit ſolatia cura,
Virginis & placidum ſubit importuna cubile:
In quo, languentes volvunt ubi ſidera ſomnos,
Et teneros virgo ſinuavit molliter artus,

Sola vigil, caſto laudes ſub pectore verſat;
Et vultus, LODOICE, tuos, quos picta tabella
Subjicit abſenti, fugitivaque noctis imago.
Sæpe etiam inſolitos miratur conſcia motus
Pectoris ipſa ſui, votiſque obſiſtere tentat.
Ah! nimium ſimplex, tun' fata avertere Divûm
Tune ipſum vincas, Superos qui vincit, Amorem?
Sic lætam ad pacem mentes, & verſa repente
Conſilia, Idaliique Dei ſententia conſtat.
Et jam pacificos felix videt inſula cœtus,
Inſula non cunis Divûm, non clara tropheis
Nec Pario candore nitens, aut mercibus Indis;
Sed viris memoranda bonis, ſed fœdere tanto,
Sed magno Aſtrææ reducis dignata triumpho.
Ergo ubi fatales complerunt ſidera curſus,
Succedunt fluvio, lætantiaque agmina jungunt,
Quos penes eſt regimen terrarum, & prima poteſtas,
Magnanimi heroës: ripis admiſta videres
Lilia arundinibus, ſubitoſque emergere flores.
Neſcit adhuc amnis madido projectus in antro,
Confuſas tantùm voces, & murmura captat:
Tum caput attollens ulvis & arundine cinctum,
Ut vidit pompam inſuetam, curruſque, viroſque,
Utque repercuſſæ radiantia lumina gazæ,
Obſtupuit, vultumque ad ſe revocavit ab auro,
Ut ſolito offenſos recrearet gurgite viſus.
Credit adeſſe Deos, tanto ſe regia faſtu
Turba effert, tantum ſplendorem ad ſidera jactat.
JULIUS ante omnes patrio ſpectandus in oſtro,
Cui comites adſunt, lectiſſima turba Deorum,
Suaviloquens Atlantiades, & maxima Pallas
(Hæc Pandioniæ ramum prætendit olivæ:)
Hinc quæ Saturnum patrem experientia jactat,
Centum artes complexa, ſitu jamque ipſa parentis

Obſita

Obſita, jam canos fundens de vertice crines:
Et dictis immota fides, terraſque reviſens
Tum primùm, exacto bellorum Aſtræa tumultu;
Indomitáque gravis Conſtantia nixa columnâ;
Majeſtaſque, & Honós præfulgens veſtibus aureis;
Semper in excelſum tendens: bonus agmina claudit
Eventus, dulciſque aſſibilat aura favoris.
Illuc & variis dimiſſi è partibus Orbis
Lecti Oratores (populos ea cura fatigat)
Convenere, armis & veſtitu peregrino
Inſignes: quos & pelagus metuentis ab Urſæ
Cardine ſupremo ſeptem miſere Triones:
Informes queis mella ferunt agreſtia ſilvæ,
Quos patrii velant mures, queis Viſtula potus;
Voſque paludoſis quos Moſa amplectitur undis:
Et tu fatali quæ non ſine Numine Divûm
Boſphorios medio in pelago domitura furores,
Gens ſuper Adriacos poſuiſti mœnia fluctus.
Tum quos Dulichia rex Luſitanus ab urbe
Miſit, ubi æripedes Zephyrorum mollibus auris
Concipiuntur equi. Bacchus (ſi credere dignum eſt)
Has priùs in ſedes ludentes Mænadas egit,
Mænadas inſanis quatientes tympana palmis,
Cum Lyſſa titubante, & Nyſigenis Silenis;
Unde ferunt dictas luſus cognomine gentes.
Tu quoque Scipiadum proſtratas viribus arces
Qui reparas, magnæque tumes Carthaginis umbra,
Rector arenoſæ Libyes, gaviſus aduſto
Mittis ab axe viros, magno qui fœdera tanta
Gratentur LODOICO, *& bis ſex corpora equorum*
Adducant, doniſque ſuum teſtentur amorem.
Omnibus ut Phœbi è tripode reſponſa profatur
JVLIVS *: eximias mirantur pectoris artes,*
Mirantur magnam mentem, conſultaque verba.

Nam velut ille pater, magnum qui condidit orbem,
Omnia cùm cæca ſub mole elementa laterent
Antiquo permiſta ſinu, cæleſtia terris,
Lucida confuſis pugnarent, ignibus undæ,
Evolvit deforme chaos: tum lite dirempta
Sponte ſua propriam ceperunt omnia ſedem,
Perfectumque dedit victrix concordia mundum:
Haud aliter terrarum æſtus, varioſque labores
Purpureus certo dirimit moderamine princeps.
Cuncta adeò arbitriis tantis compreſſa reſidunt
Jurgia, compoſito junguntur fœdere gentes.
Ac velut Occanum in magnum cùm ſe undique reddunt
Errorum variis delati ambagibus amnes,
Siſtunt undiſonos curſus, ea meta laborum:
Haud ſecus hi motus animorum, atque undique lites
Collectæ, IVLI *ſuprema in mente quieſcunt.*
At non ſpumigenam ingentes conſiſtere curæ
Permittunt Divam: pennatos urget amores,
Increpat Idalias trepidanti voce Miniſtras,
Quæ Paphon, & variis celebratam Amathunta metallis
Piſcoſamque tenent Cnidon, & ſuper alta Cythera
Felices agitant choreas: agedum, inquit, Amores,
Nymphæ agedum properate Deûm genus, ite ſorores;
Vos per anhelantes æternis floribus hortos
Purpureum metite ungue decus: vos flammea rubro
Pingite læta croco, ſpatioſis balſama tectis
Spirent: vos feſtis epulis, & nectare multo
Laſſatas renovate faces; lætiſſimus orbi
Maturetur Hymen. Nunquam, mihi credite, majus
Conjugium ſanxi terris: non ipſe marito
Cùm Thetin Hæmonio, ipſe ſuos conceſſit amores
Juppiter, & toto ingentes deſcendere cælo
Convivas, reboans Pindus, nemoroſaque Tempe,
Pinifer & motis trepidavit Pelios antris,

Impar ferre Deos. Studio ſuccenſa fideli
Sic Dea præcipitat mentes. Tunc fervere totum
Idalon, ardentumque agmen diſcurrere amorum,
Et comites Nymphas præſcripta ad penſa videres.
Hortorum ſpoliantur opes, paſſimque ſolutos
Mollibus in calathis deponunt prata colores.
Hæc violas metit, illa crocos, hæc fulvam anemonen,
Narciſſumque, olim pueros, nunc nomina florum;
Liliaque, halanteſque roſas, calthaſque rubentes.
Addunt & virides caſias, addunt amarantos,
Cinnamaque, & raris ſpirantia balſama virgis,
Et quæcumque Arabum producunt germina ſilvæ.
Quin etiam extremos Hyperionis uſque ſub ortus
Formoſus Ganges, opulentaque regia Pori
Excutitur: nec enim faciles tantis Hymenæis
Sufficiant cultus. Sed nec vulgata per omnes
Jam populos Phaëthontiadum manantia truncis
Succina, Gorgoneoque rigentia vimina tabo
Collegiſſe juvat, nec quæ torpente ſub Arcto
Rupibus algentes lymphæ moriuntur in altis,
Et Pyrenæis dilecta ceraunia Nymphis,
Primus Erythræo fulgentes gurgite baccas
Eduxiſſe labor: nil eſt pretioſius illis.
Has centum Oceani prognatæ ſemine Nymphæ
Quærunt, expanſis ſcrutantes cærula palmis.
Vaſa micant abacis, artis monumenta vetuſtæ,
Aurea: marmoreas latè ſimulacra per ædes
Aurea & ipſa, Deûm atque hominum referentia vultus,
Protendunt vigiles nocturna ad lumina lychnos.
Multaque præterea rerum miracula fulgent
Carminibus majora meis; nec cuncta recludo:
Non mihi ſi vocem Polyhymnia, vimque Maronis
Præſtet, Mæonioſque animis æquare labores.
Omnia jamque Deûm donis inſtructa ſuperbis,

Et vario Charitum penitus ſatiata lepore,
Lucem expectabant, niveo quam ſtamine Parcæ
Nebant, æternis miſcentes gaudia penſis.
Tum verò puppis regali ſplendida luxu
Inſtruitur: fulgent aurata texta carinæ,
Antennæque, & gemmato carcheſia malo,
Serica propitiis panduntur carbaſa ventis.
Cui ſimul impoſita eſt curru Tarteſſia virgo,
Omnes fluminei rauca de ſede profundi
Naides emerſere, novum decus admirantes,
Vectoreſque, ratemque, & virginis ora TERESÆ.
Ipſe amor in puppi clavum tenet, ipſe morantes
Increpitat Zephyros: at cætera pennipotentum
Turba Deûm, paſſim poſitis per tranſtra pharetris,
In numerum lentos incurvant gurgite remos.
Labitur attonitas abies formoſa per undas.
Talis (ſi mentem addideris, animumque pudicum)
Candida Cydneo quondam Cleopatra profundo
Puppe Paratonia Cilicum penetravit ad arces,
Illecebris regina potens, varioque lepore
Protinus Antoni faſces domitura ſuperbos.
Parte alia (nec enim juveni dat cura quietem)
Acer ad optatos tendit LODOICVS *amores,*
Ardenteſque impellit equos, cui vertice criſta
Ingentes placido impulſu, ceu nubila nutant,
Et coma ludenti jactatur plurima vento.
Formoſi vultus, ſed & in florente juventa
Maxima majeſtas, nutuſque in fronte potentes.
Illi longa retro ſeries, & pulvis equorum,
Centum quadrijuges tranſmittunt æquora curſus,
Nobilitatis honos, & magni gloria regni.
Cùm venit, acclives puppis jam pronuba ripas
Attigerat: ruit exultans in vota, TERESAMQVE
Excipit appellentem ad ſe, & ſocia agmina jungit.

Qualis, ubi Cynthi juga per deſerta vagatur
Phœbus, anhelanti occurrit ſi fortè Diana,
Optatos petit amplexus, & lumina miſcet.
Quos ubi conveniſſe videt, ſacriſque litatis,
Vocibus, & læto populi fremere omnia plauſu,
Diva Paphi, cupidos jungens ſic fatur amantes.
Non hæc, felices animæ, connubia initis,
Auſpice me: pridem ſummi moderator Olympi
Non ignota Deis concuſſo vertice ſanxit,
Et Parcis volvenda dedit: nunc jungere tædas
Tempus adeſt, ſpirant præſentia Numina cœptis,
Fervet Hymen, thalamiſque faces dat Juno ſecundas.
En ego, rectoris Superûm Jovis inclyta proles,
Ipſa polum vobis ultro Cytherea reliqui;
Cernitis? illa ego ſum, quæ ſidere matutino
Cunctantes depello umbras, lucemque reduco.
Nil ſine me totum gignit natura per orbem:
Non ſegetes campis oriuntur, collibus uvæ,
Non virgulta ſonant ſilvis: volucreſque, feræque.
Munere ſe reparant noſtro: genus omne natantum,
Humanumque genus per me ſua ſæcla propagant.
Nec vos illâ tamen cunctis celebrata voluptas
Egerit in thalamos, nec ſint mea gaudia tanti:
Magna ſed imperiis adigant reſponſa Deorum,
Et fatis reditura quies. Sic vellera torquet
Atropos, ut nequeant aliter conſiſtere gentes.
Iam primùm vires, regnorumque arma duorum
Jungitis, Europæ tractus metuenda per omnes.
Et jam Parthaſiâ placantur bella ſub Arcto
Hoc compreſſa metu, juſtumque Britannia frenum
Accipit: Adriacas retro fugit Attica puppes
Chalcis, & Euboïcos formidine duplicat æſtus.
Præterea, certos cùm Luna impleverit orbes,
Fortior Æacidâ veſtris complexibus HEROS

Naſcetur, nova lux mundo, qui patria mittat
Fulmina trans Rhodopen, torvi monumenta Lycurgi,
Trans & Achæmenias arces, ſolioque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ, victum terraque, marique,
Præcipitet: tales illi dant fata triumphos.
At tu, jampridem totum, LODOICE, *per orbem*
Inclyte tot bellis, tot claris aucte trophæis,
Deſine velle tuas armis extendere laudes:
Ille tuus quem fata vocant, ſuperaverit heres,
Quicquid erit ſuperandum; illi ſua facta relinque.
Hactenus armorum ſtrepitus: ſint & ſua lætis
Tempora. Nonne vides fatales ſidera curſus
Ipſa quoque ut mutent, non eodem limite currant?
Ergo age, tuque Deos imitare, & pectora verte
Quò pax alma vocat, quo pacis alumna voluptas,
Centumque oppreſſæ furiis immanibus artes,
Iamdudum quæ te implorant, lucemque repoſcunt
Auſpice te. Sacram hanc laudum ne deſere partem.
Huc aderit, cœptis nuſquam præſentior ullis,
Ille tibi fidus belli, paciſque, miniſter
IVLIVS, *ab noſtro demiſſum nomen Iülo,*
Protinus & bijugo deducet vertice Muſas,
Quæ tua facta canant. Et tu pulcherrima virgo,
Iam conjux, blandis animum converte mariti
Illecebris, dabit ille manus; tua dulcia cunctis
Certiùs arbitriis firmabunt oſcula pacem.
Iratum ſic ſæpe Iovem Saturnia Iuno
Mitigat, & triſtes depellit ab æthere nimbos.
Dixit; & Idaliis per cælum invecta columbis,
Ad Paphon, & ſacros templi remeavit honores.
Borbonidum, LODOICE, *decus, te Gallia longum*
Præſide, te dulci conjux formoſa marito
Gaudeat, & veſtro reſidens concordia lecto,
Optata nos prole beet. Tu cùm æqua vocatis

Iura dabis populis, lætas ſimul illa per urbes
Incedat, caſta matrum comitante caterva
Clara puerperiis: qualem Berecynthus adorat
Cælicolum matrem, Phrygiæ cùm ſacra reviſit
Culmina, & æthereos centum ciet ore nepotes.
At tu quicumque es Divûm, cui ſummus Olympi
Gallorum ingentes rector mandavit habenas,
Siderei mens prima chori; tua ſi tibi curæ
Lilia, Pariſiaque arces, unum annue munus
Præterea, Hectoridum cunctos ſuper, alme, triumphos;
Noſtrarum valeat columen, tutelaque rerum
IVLIVS, *immites neve illum carpere morbi*
Auſint, ſed longè te depellente faceſſant.
Confectam terris pacem ne deſerat author,
Sed foveat, famaque diu, ſeque ipſe fruatur.

INVICTISSIMO REGI
LUDOVICO MAGNO
SOTERIA.

P*LORANTES nuper Nymphas, marcentia vidi*
Gramina, pallentes ſubita formidine lucos,
Stagna repreſſa metu; magnum cùm lurida febris
Regem exerceret, totos illapſa per artus.
Senſerunt primos agreſtia tecta tumultus,
Ille quibus grandes cupiens deponere curas,
Intulerat ſe ſe, & frigus captabat opacum,
Inter Hamadryadum nemus immortale Dearum.
Mox ut triſte nefas populos vaga fama per omnes
Diſtulit; ah quæ non agitavit pectora terror!

Non ita ſanguineis gentes per priſtina bella
Turbavit Gradivus equis, tantoſque labores
Attulit: incerta nec ſic trepidatur in alno,
Cùm ferus indomitis diſcerpit carbaſa ventis
Æolus, urgenteſque bibunt tabulata procellas.
Sed nuſquam gravior quàm Pindi vertice in alto
Preſſit corda metus, capitis diſcrimine tanti.
Nam Muſæ, ut regem morbo decumbere preſſum
Accepere, omnes altis (dolor omnibus idem)
Decurrêre jugis, trepidæ ceu Mænades errant,
Cùm ſacra pampineo celebrant trieterica Baccho.
Non ipſæ rupes, non ipſa intacta dolori
Arbuſta, ipſe cavis gemuit Permeſſus in antris.
Tum verò ante alias, ingentia limina regum
Quæ colere, & regum gaudet memorare triumphos,
Calliope tales rumpebat pectore queſtus.
Heu quæ nos poſſunt jucundæ munera pacis
Solari, triſteſque animis avertere curas?
Noſtrarum cùm grande decus, tutelaque rerum,
Ille opibus, factiſque potens; qui pace reductâ,
In cælum noſtros tollit LODOICVS *honores,*
Crudeli appetitur morbo, dubiuſque laborat.
Ergone fatidicis quem pridem oracula ab antris
Promittunt patriæ columen labentis, & æquis
Qui quondam arbitriis ſubjectum temperet Orbem,
Hunc ipſum certant funeſtæ extinguere febres?
Haccine tuta quies? potius jam, principe ſalvo,
Torva redi Bellona novos motura tumultus.
Vos Superi, vos hæc cælo ſpectatis ab alto,
Nec quiſquam veſtrûm perituro ſubvenit Orbi?
Non vos heroïs tanti clariſſima virtus,
Non celebranda movent totum jam facta per Orbem?
Non pietas, cultu aſſiduo qui numina veſtra
Excolit, & ſacras bellator protegit aras?

Heu

Hei mihi! nec virtus ab ſævis maxima morbis
Vindicat heroas: poſt duros mille labores
Exhauſtos, nonne horrenti reſupinus in Oeta
Alcides jacuit rapido data præda dolori?
Jam tandem duros hominum miſereſcite caſus;
Cælicolæ, & triſtem aut regi depellite morbum;
Aut ſorti ingentes mundi permittite habenas;
Jam melius res humanas fortuna gubernet.
Talibus urgentem nemorum ſecreta querelis
Divam (per totumque ibat querimonia cœtum)
Cynthius haud dubius venturi hac voce repreſſit.
Pellite corde metus, Heliconides, impia cedet
Vis morbi, fallet Parcas LODOICVS *hiantes.*
Non adeo res humanas Fors improba verſat,
Ingrato ſpes ut tantas violenta ſepulchro
Abſcondat Lacheſis, terraſque hoc lumine privet.
Nec me adeo fugiunt medicatis inclyta ſuccis
Gramina, ſæpe quibus properantia funera tardo.
Viribus illa meis ſurgunt, domituraque morbos
Muneribus noſtris implent alabaſtra Medentes.
Ipſe adero, atque omnem, quæ nunc infixa medullis
Hæret, præſenti depellam numine peſtem.
Sic fatus: teretes arcus, divinaque ponit
Tela; dehinc capitis radios, pallamque micantem;
Membraque ſuccincto radiantia velat amictu.
Quali maternam Delon, Patareaque luſtrat
Teſqua, citos utcumque animus defigere Lyncas.
Omnibus in ſilvis, & celſis montibus errat
Phœbus, inexpleta ſcrutans medicamina cura.
Agnoſcunt numen Dryades, panduntque receſſus
Altorum nemorum, dumiſque horrentibus antra
Expediunt: ille & notas Mortalibus herbas,
Ignotaſque ſecat; tum nube obtectus opaca
Limina regis adit: jamque atria longa pererrans

Inſomnes paſſim excubias, innixa columnis
Tela videt, ſacris hinc ſe penetralibus infert.
Hæc domus interior: vanis ubi turba Medentum
Conſiliis ſerit ambages, multumque laborat.
Cynthius, ut dubios humani pectoris æſtus
Audiit, & riſit; lecta de ſtirpe ſalubres
Inſtillat lymphæ ſuccos, & pocula tingit.
Quæ poſtquam labris æger ſitientibus hauſit,
Continuò ſævus (dictu mirabile) tactis
Exceſſit venis, & toto corpore languor,
Priſtinus & membris rediit vigor. Ilicet omnes
Obſtupuere: ipſi Medici haud potuiſſe fatentur,
Et ſubitam mirantur opem. Dant plena ſacratis
Thura focis populi: tolluntque ad ſidera plauſus.
Votaque ſolvuntur, floreſcunt limina ſertis
Sancta Deûm, feſtiſque fragoribus omnia Martis
Templa tonant; reboant montes, Nymphæque reductis
Lætitiæ latè ſtrepitum evolvere ſub antris.
At ſacer Aonidum cœtus per florea rura,
Carmina gratanti meditantur dulcia plectro.
Numinis hinc celebrant vires, dextramque potentem;
Hinc laudes, Lodoice, *tuas, & fortia facta,*
Feliceſque annos, atque omnia fauſta precantur.
Vive diu, Rex magne, decus, tutelaque rerum,
Vive diu, pulchris qui vitam & lumina reddis
Artibus. Ah morboſque graves, & triſtia leti
Tartara, cur nequeunt doctæ incantare Sorores?
Nunquam te morbi, nunquam funeſta domaret
Atropos, innumeros Titan tibi volveret annos.
Quod quoniam mundi vetat immutabilis ordo,
Et te poſt centum æſtates, mundoque ſubacto,
Siderei tandem melior manet ætheris aula;
Certè hîc æternùm noſtris tua facta manebunt
Carminibus, nunquamque tui morientur honores.

LUDOVICI MAGNI
LAUDES.

NUNC decet argutas Pindi modulamine valles,
Et ſacrum exultare nemus; nunc numine toto
Et Phœbum, & comites teſtari gaudia Nymphas,
Inſtaurare choros, blandis impellere mentes
Motibus, atque omnes antrorum aperire receſſus.
Ante quidem, inviſo fremerent cùm bella tumultu,
Nec cithara cordi, nec erant in honore Camœnæ.
Etſi haud virtutes deerant, memorandaque facta.
Verùm acres inter pugnas, ſonituſque tubarum,
Aut preſſæ exangui torpent formidine vires,
Inſano vel Marte calent. Nunc aurea poſtquam
Pax rediit, docti redeant cum pace lepores,
Antiquæ redeant artes, quas bella premebant.
Voſque adeo bifidi colitis quicumque cacumen
Parnaſſi, revocate animos; fas fidere verſis
Nunc quoque vos fatis, & res ſperare ſecundas.
Cernitis, ut veſtris aſpirant Numina votis.
En vos Sangermanæ arces, regumque voluptas
Callirhoë, multumque vagis dilecta Napæis
Invitant nemora & fontes: en ardua ſacræ
Tecta vocant Luparæ, celſas æquantia nubes.
Ipſe decus regum, vultu LODOICVS amico
Reſpicit, & doctis præbet concentibus aures.
Cælicolum qualis Genitor, poſt horrida Phlegræ
Prælia, Terrigenûmque excuſſas fulmine moles,
Pierias convexa ſuper ſtellantis Olympi

Juſſit adeſſe Deas, Superûm quæ maxima coram
Bella, & præſtantes celebrarent rite triumphos.
Sed me, dum vates hortor tua dicere facta,
Quis novus impellit ſuccenſi pectoris ardor
In laudes, LODOICE, *tuas? Quæ me acer in antra*
Phœbus agit, cogitque novos inviſere lucos,
Grandia Pimplea meditantem carmina in umbra
Te quibus invictum celebrem? mens anxia pendet;
Hinc me ducit amor, hinc cœpta ingentia terrent,
Sed calcanda via eſt, juſſam compeſcere vocem
Difficile eſt ſtimulante Deo. Tibi debita fatis
Gloria, quæ radiis immenſum compleat orbem.
Hinc adeò tibi naſcenti tot bella, tot hoſtes,
Dura rudimenta, hinc victis cunabula monſtris
Inclyta, tum claris annos prævertere factis
Conceſſum, æquales annis numerare triumphos.
Tu cum vipereis Alecto infecta venenis
Inſontem afflaret patriam; regalia contra
Sceptra puer, ſacros audes attollere vultus.
Non te atrox ſcelerum facies, non ore profano
Terruit, umbroſas agitans Dea torva cohortes.
Verùm olim ut puero contrita ſub Hercule monſtra,
Imperiis ſic dira tuis compreſſa repente eſt
Seditio, magnum in puero diſcordia numen
Senſit, & eliſos avertit protinus angues.
Jam tum conſpicua tenero effulgebat in ore
Majeſtatis honos, multuſque in pectore parvo
HENRICVS, *quem nunc animis, & amore tuorum*
Exprimis, & grandi ſequeris veſtigia paſſu.
Quid deinde exhauſtos vario ſub Marte labores
Commemorem, ſparſos hoſtili ſanguine campos,
Te præbente tuos juſta in certamina Divos?
Aut male compoſitos referam quo fulmine Belgas
Perculeris, quàm ſæpe tuis exterritus armis,

Quæſierit latebras Rhenus? te bella moventem
Horruit Eridanus, ſtagniſque pavore refuſis
Populeas trepido concuſſit vertice ſilvas.
Longa mihi ſeries, cupiam ſi pandere chartis
Prælia cuncta, quot imperio ſubjeceris arces;
Utque modo ejectis audax Dunkerka Britannis,
Non ullo armorum impulſu tremefacta tuorum
Pace recepta tua eſt; utque auſus bella, tuorum
Protinus ut fremitum agnovit Lotharingus equorum;
Haud paſſus juſtas procedere longiùs iras,
Accepitque volens leges, & mœnia pandit.
Non his Pierides æqualia carmina rebus
Inveniant, non ipſe chori præcentor Apollo
Caſtalii, dignas poſſit tibi fundere voces.
At tua quo tandem virtus memorabitur ore?
Quo magnum ingenium, atque annis prudentia major?
Ut tua perpetuis agitentur pectora curis;
Dum tot componis, dum tanta negotia ſolus,
Nec tamen ingenti rerum ſub mole laboras.
Nam ſeu delectos conſultor ſedulus audis
Conſilio in ſancto patres, audiris & ipſe
In dubiis numen rebus, quo lumine mentis
Abdita, quàm certo perluſtras ſingula ſenſu?
Seu labe offenſus vitiorum, legibus urbem
Emendas, & luxuriæ das fræna vaganti,
Sancta refers nobis rigidi præſcripta Catonis.
Idem quàm juſtus vindex, ſcit dira Celæno,
Quæ priùs infanda ingluvie graſſata tot annos
Gallorum populavit opes; nunc pendere pœnas
Cogitur, & ſolitas exercet inaniter artes.
Ilicet & fraudes, deprenſaque furta retectis
Panduntur latebris, læti populuſque, patreſque
Aſpiciunt, laudeſque tuas ad ſidera tollunt.
Interea ſcandunt non ſecius æthera moles

Ingentis Lupara, & regum monumenta priorum
Exuperant : tales nunquam Mareotica faſtus
Extulit attonito tellus miracula mundo:
Tales Roma ſuis nec dictatoribus olim,
Cùm caput orbis erat. Sic omnia pectore vaſto
Munia obis. Certos ſic irrequietus in orbes
Flammiferos Titan non ceſſat volvere currus,
Et modò ad Heſperios amnes, modò vergit ad Indos;
Nunc æſtiva rotis, nunc & Borealia luſtrat
Signa, ferens late flammas, quibus omnia læto
Proventu in varios augeſcant ſemina fetus.
Tu quoque florentes Sophiæ volitare per hortos
Non ſegnis, ſi quando alias irrepere curas
Publica res patitur: tum te in ſecreta recondis,
Muſarum ut dulci alloquio, ſtudiiſque fruare.
Nunc te Graia ſuis, nunc te Romana vetuſtas
Detinet exemplis: juvat hæc cognoſcere, & omnes
Ire per ætates: olim quæ bella per orbem
Geſſerit ambitio; quas fluxa everterit arces
Luxuries, quas contra artes & vivida virtus
Sepſerit; his gravibus diſpenſas tempora curis.
Adjuvat in partem, & lateri PEREFIXVS *adhærens,*
Uſque tibi veterum pandit monumenta virorum,
Muſarum PEREFIXVS *amor, cui tempora circum*
Fulgentes obeunt, ſacrorum inſignia vittæ.
O magnum vere heroem, quem nulla fatigant
Pondera, quem fati nulla indulgentia laxat!
Indomitum æternos pro mundo ferre labores,
Armari ſeu bella jubent, ſeu mente ſagaci
Eſt opus, ingentes torques dum ſolus habenas.
Atqui illa Alcmenæ fatis exercita proles,
Maximus Alcides, poſt debellata novercæ
Monſtra, tot & priſcis multùm celebrata Camœnis
Facta, quibus cælum meruit, non pondera tantùm
Terribilis clavæ; emeritas poſuiſſe pharetras,

Verùm & direptum, domina ridente, leonis
Dicitur imbelli ſpolium mutaſſe crocota.
At tua non ullo didicit molleſcere luxu
Virtus, tanta licet poſt prælia, totque labores;
Tu quoque cum populis jucunda præmia pacis
Jure tuo, & meritos poſſes decerpere fructus;
Sed te ſollicitum, ſuadentibus otia Divis,
Irrequietus amor patriæ, laudumque cupido
Detinet, aratæ qualis moderamina puppis
Qui tenet, infidæ nautis haud inſcius undæ,
Tota licet ſtagni in morem compreſſa quieſcant
Æquora, non ulli meditentur prælia venti,
Non tamen aut dulci declinat lumina ſomno,
Aut minùs intento proſpectat ſidera vultu;
Quin magis atque magis cæcas tum corde volutat
Tranquilli fraudes pelagi, & variabile numen.
Quis dubios fortunæ æſtus, bellumque, famemque,
Præſide te metuat, ſuſpecta aut ſidera curet.
Fuſca ſalutiferum non ſic Ægyptus Oſirim
Sentiat, occulto ſi quando è gurgite Nilus
Parciùs in campos fœcundas explicet undas;
Rebus in anguſtis, ut te plebs numen amicum
Experta eſt, miſeram premeret cùm nuper egeſtas.
Jamque inviſa fames (Dî talem avertite peſtem)
Æterna exertans ſcabros rubigine dentes,
Lurida turbatis oſtenderet ora colonis.
Continuò miſeris contra exitiabile monſtrum
Auxiliator ades, longinquo ex orbe revectas
In populum ſpargis fruges, cerealia qualem
Triptolemum memorant, per egentes munera terras
Sparſiſſe, & ſacros per cælum agitaſſe dracones.
Ergo omnes in te ſpes, omnia vota reſidunt;
Extollenſque tuas in cælum Gallia laudes,
Te rerum decus omne vocat, columenque ſuarum.
Quocumque incedis, plauſuque, oculiſque ſequuntur

Mirantes populi, & longe veſtigia adorant.
Non ſic antiquos heroas Achaïca tellus
Mirata eſt, nec ſi talem te priſca tuliſſent
Secula, Tyndaridas potius, validumque lacertis
Amphitryoniaden colerent: tibi clara palæſtris
Et Sparte, & primos Elis poſuiſſet honores.
At tua ne virtus, longam perferre quietem
Impatiens, ſamma ſuccenſa cupidine laudis,
Rurſus in arma vocet populos, Martemque laboret
Inſtaurare, novos quærens per bella triumphos,
Cura tenet mentes dudum, & trepidantia pulſat
Regum corda pavor: quas primùm erumpere in oras;
Quas vaſtare domos malis: ſolio-ne ſuperbum
Regnatorem Aſiæ (quæ laus tibi debita fatis)
Proturbare pares? An Caſpia rumpere clauſtra?
An magis exuſtas Phœbea lampade gentes
Vincere ames? Nam te non ſperet barbara regem
Mexica, ubi infandis polluta altaria fibris,
Damnatumque latus mundi: non ſi qua ſub Auſtro
Terra procul Phœbi curru, & melioribus aſtris
Humanos refugit cultus; quocumque frementes
Impuleris turmas, victoria læta ſequetur.
Verum has ne propera fronti circumdare lauros:
Poſt juſtum adveniet tempus, cùm pacis amœnæ
Lenis præteritos recreaverit aura labores;
Dius & ille puer ſanguis tuus, uberibus qui
Pendet adhuc, teneris nutricum & ludit in ulnis,
Paulùm formoſos annis firmaverit artus,
Et roſeas prima umbrabit lanugine malas;
Tunc ille inſpiciens virtutum exempla tuarum,
Factaque ſolerti recolens tua maxima mente,
Militiamque abs teediſcet, verumque laborem.
Nunc illum ſua pax foveat, dulceſque Camœnæ
Jugibus obſequiis ſpem tanti Herois adorent.

VOTUM PRO DELPHINO.

SI faciles quondam audiſtis mea vota, Camœnæ,
Unum etiam hoc mihi, ſancta cohors, ſuper omnia dona
Annuite, & mentes advertite juſta precanti.
Non ego nunc, quæ ſumma petunt ſibi præmia vates,
Ut mea COLBERTVS miretur carmina poſco:
Tum ſi quid merui, non parca regia dextra
Munera tranſmittat, dignum incuſſura vigorem
Scribenti; verum ut noſtri DELPHINVS amores,
Spes regni, quo nunc ſe Gallia jactat alumno;
Poſtquam maturus veſtras accingier artes,
Jam primos ſtudiorum aditus, & limina pulſat,
Veſtra fretus ope illuſtres ſudare palæſtras
Perferat, & tanta dignos ferat indole cultus.
Cernitis, ut tenero incœptans veſtigia greſſu,
Pieriis reptare jugis affectat? ut altos
Miratur lucos, & adhuc incognita regna.
At vos ingenti rerum novitate paventem
Excipite ô, prenſumque manu per opaca ſonantis
Caſtaliæ nemora, & riguas deducite valles:
Quà ſacrum pandit latus, & quàm tramite longo
Silvarum pater aſſurgit Parnaſſus ad auras.
Illum fluctiſonis quanquam Oceanitides antris
Jamdudum poſcunt Nymphæ, fœcundaque Tethys;
Cæleſtes tumido paſcit quæ gurgite Divos;
Centum quæ lucos, centum penetralia ſervat;

Maximus & toto latè pater æquori regnat:
Non tamen eximium fas ſit committere Nereo
Depoſitum, veſtris natet hic DELPHINVS *in undis.*
O fortunatæ ſtudiis nunc denique, Muſæ,
Fortunati amnes, fortunatique receſſus,
Ipſe quibus gnatum LVDOVIX *mandavit alendum.*
Quem non degenerem patriæ virtutis eodem
Seſſurum ſolio ſperat, votiſque precatur
Gallia, tot claros debent cui fata triumphos.
Iam certè in puero divini ſigna vigoris
Non obſcura patent; acri ſic omnia figit
Obtutu; vigiles huc illuc volvit ocellos.
Iamque adeo conſcendere equos, & flectere habenas,
Spiculaque infanti geſtit torquere lacerto:
Iam belli viridi in campo ſimulacra tuentem
Tympana pulſa juvat, ſonituſque audire tubarum,
Et magnum regem jam parvo in pectore geſtat.
Vt fulvæ matris ſilveſtri ſcymnus in antro
Clauſus adhuc, ſi venantum globus impulit auras,
Raucifonique æris clangor, licet inſcius ævi,
Sponte ſua tamen erigitur, pugnamque laceſſit
Vnguibus, & mota converberat ilia cauda.
Tantùm ſemina magna valent, & grandis origo.
Quid memorem Ponti gentes? Quid Caſpia regna?
Quos pharetratus obit Ganges, quos Indus Hydaſpes
Alligat, & putribus Nilus fœcundat arenis?
Iam puerum ingentem trepidant, jam bella moventem
Proſpiciunt, cinctumque armis Babylone ſub alta,
Vi patria inſtantem Æmathios ſuperare labores.
Quo majorem illi formando impendere curam
Vos decet, Aonides, jam nunc; variaſque per artes
Fingere quem tot ſceptra manent, populique regendi.
Veſtrum opus hoc, Divæ, regem formare futurum:
Noſtis enim, Divæ, & ſolæ præſtare poteſtis,

Queis ſine nec princeps ullus ſua munia obire,
Nec magnum poſſit componere legibus orbem.
Non regem diadema facit; non purpura, & auro
Illuſæ veſtis decus, excubitorque ſatelles?.
Non cælo educta moles, & tecta reciſo
Marmore, barbaricoque intus radiantia luxu;
Armorumve fragor; ſed mens ſibi conſcia rerum.
Magnarum, & vulgi captu prudentia major.
Hæc una arbitriis regem magis omnibus alto
Attollit cælo, & rerum facit eſſe potentem.
Verùm hæc antiqua haud ſerie deſcendit avorum,
Nec cenſum aut titulos ſequitur, ſed pectora longo
Inſinuat ſtudiorum uſu, multoque labore
Exorata venit. Tenero inſtillandus Achilli
Ætheriæ virtutis amor, contraque docendus,
Quot ſit fœta malis, quàm rege indigna libido;
Quæ liquidam tetra offundit caligine mentem.
Quæque recondere opes, populiſque avertere prædas
Inſtat avaritia ægra, nec ullo fine quieſcit.
Talia Peliacis quondam præcepta ſub antris
Phillyrides magno Chiron iterabat alumno.
Quin & eum docuit, queis vulnera ſæva coïrent,
Arte ſalutares Phœbea in montibus herbas
Carpere, & effrænum ſuccis inhibere cruorem.
Tum veterum facta heroum celebrare canendo,
Grandia Muſæis ferientem carmina plectris.
Quantos indomita tulerit virtute labores
Maximus Alcides, dum clava armatus & arcu
Materiam laudum per totum quæreret orbem,
Monſtra manu, immaneſque domans feritate tyrannos.
Ut terram ingentem populos miſeratus obiret,
Præſentemque vocatus opem, ſolatia ferret.
Oppreſſis, meritum ſcandit quo munere cælum:
Illum etenim memores numero adſcripſere Deorum

Poſt mortem populi, atque Deum fecere colendo.
Talia ſæpe canens magnarum ſemina laudum
Diſcebat puer Æacides Chirone magiſtro.
Tuque PERIGNIADE, *noſtro formator Achilli*
Additus, antiquis magnorum condita faſtis
Facta virûm referes; ſed durum Euryſthea mitte,
Obrutaque Herculeis quondam tot monſtra lacertis.
Nec Minotaurum cures quo vulnere mactet
Ægides, cacôſque eludat carceris aſtus;
Cuncta ſitu longo & denſis oppreſſa tenebris.
Tu potius quos prole virûm tulit inclyta reges
Gallia, totque duces, quorum eſt decorata triumphis,
Diſſere; victoreſque atavos oſtende nepoti.
Iamque ſub imperii naſcentis origine prima
Ecce tibi ſuperûm monitus & ſigna ſecutus,
Barbarica ingentes dextra dat cædis acervos;
Et meritos Divis reddit Clodovæus honores:
Primus legitimos converſo pectore ritus
Amplexus, Chriſtoque fidem juratus ad aras.
Hunc primùm oſtendes. Hinc quos antiqua palatî
Majores fortuna tulit, rerumque potentem
Aſpice Martellum, haud regem, ſed regibus ipſis
Impoſitum, & nutu moderantem cuncta ſupremo.
Quem ſenſère virum duri quo turbine obiret
Martis opus, cæſa Turonum ſub mœnibus altis,
Innumeræ Saracenûm acies, pulſæque cohortes
Lutprandi, defenſa armis ſacraria Divûm,
Et Vaticano reſidens in monte Sacerdos.
Martellum ſoboles ſequitur Pipinus, & ipſe
Inclytus: at cæli penitus tollendus in axes
Carolus, exuperans magnum cui gloria nomen
Addidit; armorum felix, tot gentibus omni
Perdomitis late Europa, imperioque ſubactis.
Hinc alii ſubeunt reges, regumque nepotes.

Quàm multa ſobole in ſilvis ſe robora tollunt,
Iliceæque trabes, & amantes nubila pinus:
Et varia cælum ſucceſſu frondis inumbrant.
Verùm ubi ad ingentem ſeries te longa Capetum
Duxerit; hic nova præpandet ſe gloria rerum:
Nominis hinc Valeſî decus, hinc generoſa propago
Borbonidum. Hîc omni florentem laude videbis
Franciſcum, qui primus opaci Heliconis ab alto
Aonias nobis deduxit vertice Muſas.
Hîc Magnum Herricum, hîc Iuſtum duo fulmina belli,
Majoremque atavis, LODOICVM *ex æthere nobis*
Demiſſum, veteres titulos qui luce recenti
Obruit, ut noctis pallentia ſidera Titan.
Nec pigeat reges inter, quos priſca tulerunt
Secula, miranda egregios ſpectare labores
Virginis, immani cui nomen ab hoſte recepta
Egregium, & longam tribuerunt mœnia famam.
Hujus te varios caſus & fortia facta,
Altius aſſurgens, & quo decet ore docebit
Muſarum Capelanus amor, cui ſedula quondam
Ipſa ſuis manibus præcingens tempora lauro
Melpomene, I veterum heroum cane prælia, dixit,
Tolle animos, quaque altiloquo via trita Maroni,
Ingredere, & magnis vadentem paſſibus æqua.
Dixit, & ambroſiis vatem complexa lacertis
Inſpiravit opus, quod nullo abolebitur ævo.
Dum Lupara Hectoridum ſtabit domus ardua regum,
Dumq; decus Francorum, & opes, & ſceptra manebunt:
Diſcetur vis ſumma tua, Capelane, puellæ.
Illud in his ſuper omni opera ſervare memento,
Docte PERIGNIADE, *doctarum cura Sororum,*
Ut gnato patrem oſtendas, decora inclyta patris
Explanes: juſtas quàm prudens flectere habenas;
Quàm conſtans recti vindex, quàm lubrica morum

Luxuriamque animis gliſcentem inhibere ſeverus;
Ut torpere gravi nolit ſua regna veterno,
Utque ipſe aſſiduis in publica commoda curis
Excubet, ut cunctis virtutum accendat amorem
Gentibus, in quaſcunque plagas regalia mittens
Munera, quæ tardis quoque poſſint addere mentem;
Quo magis egregias in lucem proferat artes.
Ceu tempeſtivos demittens Juppiter imbres,
Omnigenas telluris opes educit in auras,
Et totum exhilarat donis cæleſtibus orbem.
Hæc ſi commemores DELPHINO *facta parentis,*
Fortiùs hunc, meliúſque exempla domeſtica tangent;
Eſſe volet ſimilis patri; nec jam ulla laborum
Hunc poterit facies incœpto abducere curſu,
Quo minus optatam ſtudeat contingere metam.

LODOICO

NICETERIA.

S*I memoranda virûm facta, illuſtreſque triumphos*
Te juvat, & doctas meritum extendiſſe per artes,
Rumpe moras, Pimplea cohors, & vertice ab alto
Parnaſſi, quà caſta jugis umbracula nutant,
Fer lauros magno victori, & carmina funde.
Tuque ades, ô LODOICE, *tuis hæc debita factis*
Præmia, quem modò Belga ferox, & potor Iberi
Debellantem acies, cingentemque oppida flammis
Obſtupuere; armis quanquam nova bella ſuperſunt,
Nec dum omnis labor exactus, nec dum ægra reſidunt
Corda, tamen patriæ optanti ſua gaudia redde;

Vultus redde tuos, dudum quos mœſta requirit,
Deque tuo reditu cælum obteſtatur, & omnes
Implorat Superos, oneratque altaria donis.
Ut mater, cui natum ignotis detinet oris
Tempeſtas, tumidum includens Aquilonibus æquor;
Litus amat, ſcopuloque hærens ſpeculatur ab alto,
Quæ tempeſtivis referantur carbaſa ventis:
Sic tua te aſſiduis expoſcit Gallia votis,
Inque tui reditus, & laudis imagine tota eſt.
Heu quantos te bellorum exhauſiſſe labores,
Accipimus! quantis caput objectaſſe periclis!
Tune auſus, gentis, rerumque oblite tuarum,
Inſanas propiùs murorum accedere moles,
Inque ipſam deſcendere humum, dum tegmina miles
Excavat, & primas luſtrant vaga funera foſſas?
Ardua perpetuis ſtant propugnacula circum
Excubiis armorum, & vaſtas undique cautes
Objiciunt, manibus credas impoſta Gigantum.
Non alios olim creviſſe ad ſidera montes
Crediderim, cùm telluris Phlegra impia prolem
Commiſit Superis; taleſque educere cælo
Auſa priùs, ſectas ſtupuit Babylonia linguas.
Inde autem (dictu horrendum) muralis opaco
Tempeſtas prægnans & nitro & ſulphure, vaſtos
Excutit ore globos: quo murmure pulſa laborant
Sidera, terra tremit. Vano Salmonea curru
Jactantem flammas, & inani lampada paſſim
Quaſſantem ſtrepitu, mirari deſinat Elis.
Non tali ipſa ingens olim tonat Ætna vapore;
Talia cælicolûm regi nec tela miniſtrat.
Unde hæc Parcarum Mortalibus addita cura
Triſtes præcipitare colos; unoque ſub ictu
Agminibus totis æternas pandere noctes?
Hæc ſatus Iäpeto cæleſtia dona nocentes

Detulit in terras? quem fama eſt ætheris alti
Expilaſſe domos : an, quod reor, ira Deorum
Sontibus ingenium dedit, ut ſibi dira pararent
Supplicia, & rapidæ facerent compendia morti?
Hos tamen in caſus, & tanta pericula vadis
Intrepidus, præſenſque oculis opera omnia luſtras,
Nec comites prohibere valent; rideſque pavores
Adſtantis turbæ, alta tuæ quos cura ſalutis
Exanimat. Similes at te ſi quando jubebit
Ardor adire vices, laudumque immenſa cupido:
Si nullo populorum æſtu, precibuſve moveris,
Spes quorum in te omnis, reſque inclinata recumbit;
Saltem conſortis teneræ; nocteſque dieſque
Irrequietus amor moveat, lacrimæque decoræ,
Quæ te animis, fidoque metu in diſcrimina cuncta
Proſequitur, triſtes volvens ſub pectore curas.
Et te DELPHINVS *moveat; tua dulcis imago,*
Altera cura Deûm, Francæ ſpes altera gentis.
Huic præſens ſtudium inſpires virtutis; oportet,
Certaque tendenti ad laudem veſtigia ſignes.
Atqui ne Luparam linquas, ſedeſque beatas,
Non petimus, nitidos ne condas caſſide vultus;
Ne loricam aptes humeris, haſtamque lacertis;
Rex cùm ſis, tantumque ardorem in pectore geſtes;
Verùm veſtibula hæc funeſti ut parciùs Orci
Accedas, & ſis hominum contentus habenis.
Te juvet armatas nutu frænare catervas,
Ferratis dare ſigna globis; quæ mœnia vertant,
Quos rapidi ſuperent montes, quæ flumina tranent;
Et quos hoſtili perfundant ſanguine campos.
O quantùm virtuti addit præſentia magni
Principis, & quantas ſubmittit pectore vires!
Non ſic inſanam totos illapſus in artus
Pythius ex adytis vatem ſtimulavit Apollo,
Correptam

Correptam attollens ſupra mortalia mentem.
Non Idæa Deûm genitrix ſuper alta miniſtros
Dindyma, queis ſacros inſtaurant corde furores,
Et nemora, & biforis moderatrix tibia cantus.
Denique nec Bacchi tantus furor: Orgia quanquam
Cum vaſtis nemorum in latebris indicta ſonarent,
Mænada ſæpe manu correpti membra leonis
Dilaniaſſe ferunt, validam ab radicibus imis
Sæpe trabem, & celſas vulſiſſe in montibus ornos.
Et tu nimirum noſtris, Lodoice, *catervis*
Numen ades, Cybeleque, & Baccho, & Apolline majus.
Hinc tibi tot paucis ſubjecta menſibus arces,
Tot populi ſubiere jugum, dum te æmula turba
Reſpicit, & læti tanto ſub teſte labores.
Quid referam atroces diverſa ſub oppida pugnas?
Magnanimos proceres, impervia corda pavori?
Berga quibus, Duacumque, & bellis aſpera ceſſit
Nervia, Cæſareis quondam celebrata triumphis:
Quos non oppoſitis crepitantia fulmina muris,
Non ulli armorum ſtrepitus, vis nulla morata eſt.
Non magis intrepido Cadmi faſtigia greſſu
Aſcendit Capaneus, abruptaque ſaxa revellit
Turribus, & propriis afflixit mœnibus urbem.
Mirantur Belgæ attoniti, mirantur Iberi
Devotas bellorum animas, nova monſtra ſupremæ
Virtutis; ſiquidem & paucis domita Inſula nuper
Solibus, acceſſitque tuis, Lodoice, *trophæis.*
Nec quicquam adjuvit Marſinus, opemque petenti
Affuit, imperii columen Marſinus Iberi;
Quem vario jactatum æſtu contraria fata,
Haud faciles & Divi in bella Hiſpana furentem
Præcipitant, cædes meditanti, & dira paranti
Delectas, Lodoice, *jubes occurrere turmas.*
Conſeruere manus: prior atro ſulphure flamma

Intonat, & ſolito committit prælia plumbo.
Hinc enſes, propiorque furor: jam ſanguine Ibero
Fumat humus; tandem averſæ dant terga cohortes;
Ipſe amens fugit immiſſis Marſinus habenis,
Millia multa ſolo comitum interfecta relinquens.
Cernitis hæc, Belgæ, & vos hæc ſpectatis Iberi?
(Vos ego namque meo nunc carmine compellabo.)
O infelices! quæ vos fortuna fatigat,
Et tantos ſuadet bellorum accerſere motus?
Quæ ſpes jam ſupereſt vobis, quæ clauſtra, quis agger
Defendet? ferrumne, & ſaxa opponitis hoſti,
Quem damna irritant; cui ſæva pericula, cædes
Dant animos; cujus vireſcit vulnere virtus?
Nonne videtis uti præſens audentibus ignes
Sufficit, inque omni LODOICVS *pectore pugnat?*
Hinc illis vigor, & pulcra fiducia mortis.
Cernite disjectas moles, revolutaque ſaxa
Mœnibus, & veſtro ſpumantes ſangine foſſas:
Scaldimque innumeris polluto cædibus alveo
Trudentem iratos per denſa cadavera fluctus?
Jam Belgæ LODOICO, *& vos jam cedite, Iberi.*
Quis furor injuſto potius profundere bello
Fruſtra animas, fatoque urgenti incumbere velle,
Quàm juſti imperii leges & vincla ſubire?
Ah! tantos animorum æſtus, tantoſque furores
Victoris mores & mens perſpecta refrænet:
Qui quos adverſis pugnantes terruit armis,
Subjectos fovet, & felici protegit umbra.
Sed quid ego hæc ventis nequicquam abeuntia fundo?
Quidve juvat lituos inter, ſonituſque tubarum
Non exauditis impellere vocibus auras?
Quid ſi hanc ad ſummum vitæ mortalis honorem
Haud facilem, LODOICE, *viam tibi fata dederunt:*
Teque per hos caſus, per tot diſcrimina rerum

Orbis ad imperium ducit fortuna gubernans.
Nam quis te, Hectoridum ductor fortiſſime, eodem
Tempore trans Gades & ſole afflata cadenti
Æquora, Chriſtiphori extremis Deus intulit arvis?
Unde iterum haud veritos bellum inſtaurare Britannnos
Ejiceres latè victor, totoque fugares
Oceano: niſi quòd tractus ſe pandit in omnes
Imperii fortuna tui, notumque vagantis
Æquat iter Phœbi, & ſimiles affectat habenas?
Nunc ſequere, ô, finemque incœpto impone labori,
Maxime Francigenûm, Divis nec parce ſecundis.
Optima cauſa tua eſt, defendis jura TERESÆ;
Quæ tibi dant leges dotalia regna repoſcis.
Vinces, ne dubita. Non ſi ter Iberia tantas
Mittat opes, jungatque novas animoſa cohortes
Parthenope, priſcos exſuſcitet Hybla Gigantes.
Non ſi ipſe horrenti multùm expectatus ab Iſtro
Cæſar agat turmas, ullis conatibus obſtet
Incœptis LODOICE *tuis: Themis ipſa Tonantem*
Pro te ſollicitat, ſi deſint arma, rubente
Ipſa manu patrios vindex jaculabitur ignes:
Mox tua deſcendens ultro in tentoria, amica
Te prenſum dextra attonitas deducet in urbes,
Pacatoſque premet victrix tua ſub juga Belgas.
Perculſæ cedent acies, ſimul agmine facto,
Inſidiæque, dolique, & fraus adoperta tenebris;
Necquicquam ambiguos intorquens lubrica nexus:
Rumoreſque mali, & vibrantis ſibila linguæ,
Invidia infelix, & cetera monſtra, potenti
Lumine victa Deæ fugient, ceu noctis inanes
Orta dies larvas, ſimulacraque Sole repellit.
Tum populi ex animis depulſa nube, volentes
Te Dominum plauſu excipient, ſolioque locabunt.
Hæc per me tibi venturi conſultus Apollo

Nuntiat, & ſummum Belgî tibi ſpondet honorem.
Interea duros paulùm intermitte labores,
Et blandas victor ſedes, patriamque reviſe.
En tibi laurigeros aptat victoria currus:
Pandit lætantes formoſa Lutetia portas.
Te populi, patreſque animis & voce requirunt,
Ipſi te montes, vitreis te Sequana ab antris,
Ipſa vocant nemora, & commotis frondibus aura.
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine ſilvas
Exhilarent. Sol ipſe novo convexa ſereno
Ætheris, & colles meliori lumine veſtit;
Ipſaque blanda parens florum ceu vere, tepentes
Laxat terra ſinus, & mollia gramina fundit.
At ſuper umbroſi frondoſa cacumina Pindi
Innumeros numeros Vatum tibi turba piorum
Expediunt: quos inter eodem incenſus amore
Audeo & ipſe tuas modulis attingere laudes,
Ingenio minor, & tantis conatibus impar.
Si tamen incœpto bonus aſpiraveris, & te
Senſerit haud ſurdum votis mea Pieris, omnes
Tunc valeam ſuperare moras; tunc tendere in altos
Nimborum tractus victor, tuaque inclyta facta
Ferre per ætates, qua docti Muſa Maronis
Dardanium Æneam ſubvexit ad æthera penna.

EIDEM REGI MAGNO,

POST

BATAVICAM EXPEDITIONEM,

EPINICIUM.

GRATA *tibi meritos,* LVDOVIX, *dum ſolvit honores*
Gallia, certatim vates dum carmina fundunt,

Innumeri, tolluntque tuas ad ſidera laudes:
Me quoque dulcis amor ſtimulat tua dicere facta,
Eximiumque ſonare decus: da cantibus aures,
Et tenues timidæ Muſæ ne deſpice cultus.
Me juvat Aonios te propter ſcandere montes,
Atque novos intacta per avia carpere flores,
Queis tua perpetuum decorentur tempora in ævum.
Hoc virtus, LODOIX, meruit tua, ductus & omnis
Per benefacta labor, populis plaudentibus, ex quo
Gallorum ingentes princeps moderaris habenas.
Felix! quem concors hominum rumore ſecundo
Tollit ad aſtra favor, cujuſque ingentibus actis,
Jam nulla infelix prætendit nubila livor.
Nos quoque ſub tanto felices principe! qualem
Gallia non vidit Francorum ab origine prima.
Nec verò laudum oceano dare vela patenti
Conſilium eſt; tenui ſatis eſt modò litora cymba
Radere, & inſontes non altis fluctibus oras;
Ne mea tam vaſto pereat ratis hauſta profundo.
Me quoque deterret Phaëthon ambuſtus, & udis
Eridani ripis flentes fraterna Sorores
Funera, & Icario ludentes gurgite plumæ.
Quid nunc attingam tantarum ex agmine rerum
Belli-ne, an pacis decora, anceps Muſa laborat.
Hinc pugnas, domitoſque hoſtes, arceſque ſubactas,
Oſtendis latè victor; hinc pectoris artes
Conſulti, ſcita haud ullis ceſſura trophæis
Opponit Themis, atque æquas te principe lances.
Sed magis illuſtres miratur turba triumphos,
Pendenteſque alta ſacri teſtudine templi
Relliquias bellorum, ereptaque ſigna maniplis.
Qualia das ſpectare tholis affixa ſuperbis
Delubri Iſacidos Diva, qua cladibus ultor
Miſiſti è Batavis, ſeros monitura Nepotes.

Gens, quæ fatorum juſſu è melioribus oris,
Olim ad ſupremas Rheni compulſa paludes
Segnibus inſedit ripis : qua tempore longo,
Cyclopum ritu, vitam inter paſcua duxit :
Cujus inexhauſto tractus humore natantes
Averſata Ceres, nunquam luſtravit amica
Lampade, nec mœſtas Semeleïus induit ulmos
Pampinus, aut dulces oſtendit collibus uvas :
Cui ſtudium antiquum mugitu errantia longo
Per campos armenta ſequi, ſubmittere tauros,
Et diſtenta boum aſſiduis premere ubera palmis :
Hinc raptas pecori exuvias, lactiſque coacti
Munera in externas pretio tranſmitere gentes :
Cuique leves calami cordi, demerſaque ponto
Lina ſequi, & captos in ſiccum educere piſces ;
Et ſalſas ratibus curvis volitare per undas :
Nunc poſtquam in totum mutandis mercibus orbem
Immenſas cumulavit opes ; attollere vultus
Audet, magnanimos belloque laceſſere Reges :
Nec tibi proh ſcelus infandum ! LODOICE, *pepercit.*
Degeneres riſiſti animas, iraque minores,
Servileſque jocos ; furiis ſed concita juſtis
Protinus ad meritas properavit Gallia pœnas.
Ipſa tibi linquens altum Rhamnuſia cœlum,
Devolat, & prenſum fulgentibus induit armis :
Subjicit ipſa faces, fidos ipſa exigit enſes,
Et motus animorum ; inque omnia pectora labens,
Horrendos læſa pro majeſtate furores
Acribus inſpirat populis, quas Sequana pulſat ;
Quos Rhodanus, latoque interfluit amne Garumna.
Nec minus extremos tetigit dolor iſte Britannos ;
Et Tameſis motis teſtatus fluctibus iras.
Tympana pulſa tonant, bellorum tympana ſignum ;
Certatimque alacres Martis dant nomen alumni.

Quàm multas nemorum glomerat ſub fronde volucres
Tempeſtas ventis truculenta, atque imbribus atris.
Doctor ades, torvos feraque agmina primus in hoſtes,
Alipedeſque impellis equos: ſonat incita pulſu
Ungula, ſqualenteſque aufert caligine campos.
Riſerat hos dudum bellorum Hollanda paratus
Improbitas: quippe ingenio confiſa locorum,
Hinc circumfuſos regnis cùm cerneret amnes;
Hinc maria opponi, tempeſtateſque ſonoras,
Oceanique fidem, non talia credidit armis
Præſidia, aut tantis munitas molibus arces
Poſſe expugnari; non quas Zelanda ſecundùm
Litora, terribiles centum tenet anchora pinus.
O cæcæ Batavûm mentes! nil fidere Divis
Fas cuiquam invitis: celſa nam qualis ab Alpe,
Aut Pyreneo de vertice pronus opacas
Volvitur in valles contorto vortice torrens;
Ille effrenatò rapit irrevocabile curſu
Pondus in obſtantes ſilvas, & ſaxa, neque illum
Ullus obex, vis ulla poteſt inhibere cadentem:
Talis ſe tua per campos, LODOICE, *Batavos,*
Per ſaltus erumpit, inacceſſaſque paludes
Ultio; nec tardari ullo molimine rerum
Armorumve poteſt, ſubito quin fulmine ſontes
Corripiens, ſubigat meritas expendere pœnas,
Invidiáque levare Deos: ceu fanda, nefanda
Omnia permittant fortunæ, hæc fata manebant
Effrenam gentem, nec vinclo aut legibus æquam,
Hinc tibi tot paucis ſubjecta menſibus arces,
Et tam præcipites referens victoria palmas,
Conjuraſſe Deos tecum teſtantur, & armis
Jampridem ſtatuiſſe tuis punire nocentes.
Sic vaſtos ratibus nullis tranſmiſimus amnes:
Vivida ſic virtus infandæ obſtacula terræ

Omnia perrupit. Celeres objecerat undas
Rhenus, qui domitis quamvis tunc mollior irêt
Fluctibus, immodico dum conjurata ſereno
Aſtra tibi ſupera dudum famulantur ab arce;
Attamen haud tenui undarum ſe mole ferebat.
Hic quondam ancipites ſpumanti gurgite ſuetus
Explorare toros, & pignora certa maritis
Arbitrio firmare vadi; nunc Martia corda
Exploravit aquis, memorandaque facta virorum.
Quippe reluctantem nequicquam, adituſque negantem
Non tulit haud ullis pubes ceſſura periclis.
Non tamen æratas vinclis committere cymbas,
Aut pontes aptare vadis juvat: ilicet omnes
Indignata moras, ſaltem ſe conjicit amnem
In medium: trepidæ ſub aquoſis Naïdes antris
Obſtupuere equitum fremitus, aciemque natantem
Agmine compoſito ad pugnam, mixtoſque fluento
Cornipedes: pater ipſe viros in prona ruentes
Horruit, & multâ Rhenus caput abdidit ulvâ.
Sic Vahalim, ſic cuncta Iſalam ſubiere phalanges:
Idem omnes rapit ardor: amant diſcrimina, & omnes
In caſus, leti ſecuro pectore vadunt.
Nempe aderas, LVDOVIX, *dux, hortatorque laboris;*
Tu vires, animoſque dabas; tu maxima rerum
Pars, quarum immenſo volitat nunc gloria cœlo.
Quinetiam extremæ tecum ſtans margine ripæ,
Viſa tuas Tritonis hera inſtigare catervas.
Dant animos portenta Deûm: rapit inclyta bello
Agmina CONDÆVS, *quanto Jovis ira fragore*
Aërias Alpes, aut alta Ceraunia torto
Igne ferit: cæcas Batavûm fœdare latebras
Promptus, & abſtruſos dumis horrentibus hoſtes
Opprimere, ingenti convulſis impete vallis.
Iidem oculis ignes, idem mentem incitat ardor,

Quo

Quo juvenis quondam incenſus , pallentis Iberi
Lentiacos largo perfudit ſanguine campos ;
Quem Norlinga , & quem trepidavit Regia rupes.
Sed quid ego plura hîc ſpatiis diſcluſus iniquis ,
Principe de tanto ? qui , ſi fortuna tuliſſet ,
Pellæos potuit factis ſuperare triumphos.
Dant fortes ſimilem prolem, torvique leones
Non generant timidos damas , aquilæve columbas :
Ergo magnanimi veſtigia nota parentis
ENGVINEVS *premit exultans , caſuſque per omnes*
It præceps ; tantum patriæ virtutis imago
Incutit ardenti penitus ſub corde vigorem.
Sed quid ego aſpicio ? Tene ipſo in limine belli
Labentem , tecumque genus , verſoſque Penates,
Infelix DVNESIADE? *Quem ſortis acerbæ*
Incuſem Superum? aut vanis quid ſæva querelis
Sidera compellem humani ceu conſcia fati ?
Heu miſerande puer! te laudum immenſa cupido
Perdidit : immo acies inter , primoſque tumultus
Flagrantem , humanis majoraque viribus auſum
Æmulus extinxit Mavors. Quis credere poſſet ,
Invidiæ tantum Superis ? Heu Gallia quantum
Amiſit columen caſu tam fortis alumni !
Quantum altis & tu in rebus , LODOICE, *miniſtrum ?*
Illum ſaxoſis Nymphæ ingemuere ſub antris
Teutonides : Mars ipſe ſolo fleviſſe jacentem
Dicitur , ipſe ſuos coram damnaſſe furores.
Quid proceres alios referam , fatalia belli
Fulmina ? Quàm dextrâ præſtans audere PHILIPPVS ;
Quàm fortis duros animis perferre labores ?
Tuque adeo Martis cui munia dura perennem
Dant famam, noſtris meritò memorande TVRENNE
Carminibus ; quo non quiſquam præſtantior alter
Noſſe modum belli , & rapidas frænare cohortes ;

Seu caſtris optare locum, & circumdare foſſis;
Sive opus inſtructas acies educere campo;
Seu verſare dolos, & jungere viribus artes.
Te Batavûm tremuere domus: te clauſtra profundi
Servantem Rheni innumeris bacchata catervis,
Et caligantes belli formidine ripas,
Territa confuſo trepidat Germania motu.
Cætera quid rerum certem æquiparare canendo?
Quas clades miſeræ attulerint, quæ funera genti
Indomiti heroes? ut nemo occurrerit illis
Armatis impune hoſtis: qui deinde tumultus,
Quis pavor attonitas Batavorum invaſerit urbes?
Perculſæ cedunt acies, ingentia nutant
Mœnia, nil foſſæ, nil propugnacula proſunt
Obſeſſis, vix hoſtilis confinia terræ
Pulſanti, pandit Rhimberga exterrita portas,
Veſalia, Orſoæque arces, & fida Burici
Laxant clauſtra metus, & deditione ſaluti
Proſpiciunt: nec cuncta tibi, Lodoice, *ſubacta*
Oppida, Pieriis non unquam audita ſub antris,
Neſciaque Aoniis manſueſcere nomina chartis
Attigerim: qui tela, viros, rabiem, horrida cœpta
Sperabant, animos paſſim mirantur inertes
Francigenæ, in mediiſque hoſtes & prælia quærunt
Hoſtibus: hinc dictis acuunt mordacibus iras,
Si poſſint fœdis timidos excire latebris.
O Batavi! faſtus ubi nunc, & grandia verba,
Præſentemque minæ nec duraturus in hoſtem
Spiritus? En quorum imperio Neptunus aquoſas
Subjecit pelagi moles, ſævumque tridentem;
Supremis quorum arbitriis ſtant omnia bella
Europæ: audebant nuper qui tollere cælo
Vanum apicem, atque ipſos præ ſe contemnere reges;
Nunc poſtquam propiora manum diſcrimina poſcunt,

Et campis ſe ſe Hectoridum explicuere cohortes,
Invictaque manus, armorumque ingruit horror,
Clauſtra petunt, quas & noſtris defendere ab armis
Non poſſunt, mox ſe ruituris arcibus abdunt.
Hæc noſtri ingeminant, animoſque ad ſidera tollunt;
Illis pulſa novâ trepidant formidine membra,
Frigidus imbellique coit ſub pectore ſanguis.
Jam paſſim infauſtas acies, & tela Batavus
Ejurat pavor, atque avidas clareſcere pugnis
Deſtituit fuga fœda manus, Martemque latebris
Fruſtratur, trepidas rerum dum fama tuarum
Percellit mentes, & major Martis imago.
Si qui autem veterum ante focos atque ora parentum
Pro patria conferre gradum, ſæviſque cruentos
Auſi inter fremitus caput objectare periclis;
Hi tibi crudeles ſolverunt ſanguine pœnas.
Ergo ubi nulla ſalus ſumptis ſperatur ab armis,
Et ſævis jam cuncta patent convulſa ruinis
Undique, ſucceſſuſque tuos vis nulla morari,
Nec rapidos quiſquam potis eſt inhibere triumphos;
Tunc circumfuſi ſpectantes æquora ponti,
Cæruleos votis implorant denique Divos,
Curvaque luctiſonos volvunt per littora queſtus.
Apparent variæ facies, vultuſque Deorum,
Semifero tumidos feriunt qui pectore fluctus;
Numina velivolis multùm exorata Batavis.
Longa quibus ſtudium eſt ſervare per æquora puppes,
Et nautis aperire agiles properantibus undas,
Feſſaque ſecuro componere carbaſa portu;
Portunuſque, & Cymothoe, Glaucuſque ſororum
Nereidum, Phorcique chorus, Proteuſque biformis,
Quique ſecat diva pontum cum matre Palæmon.
Tritonumque proterva cohors, qui ſigna tumenti
Dant pelago, & rauca exterrent freta cærula concha.

Omnes quæ tantos bellorum accenderit æſtus
Cauſa, rogant, hominum & caſus miſerantur acerbos.
Omnibus hæc tandem ſedit ſententia, pontum
Laxare, & vaſti convellere clauſtra profundi,
Atque ſuperfuſis compeſcere fluctibus hoſtes.
Solâ, quæ clades aliis & funera portat,
Diluvie gentem ſervari poſſe Batavam.
Accingunt ſe operi obnixi Tritones, & altos
Sollicitant cumulos, & vincla tenacia arenæ.
Ipſe pater regni humentis cui ſumma poteſtas,
Impulit oppoſitas converſâ cuſpide moles:
Fit ſonitus: magno roboant cava ſaxa fragore.
Ilicet aggeribus ruptis immania Nerei
Irrumpunt ſtagna, & latos ſpatiata per agros,
Mœniaque & turres infuſo gurgite vallant.
Hanc vobis Neptunus opem, Neptunia proles,
Annuit, hæc miſeris reperit ſolatia rebus.
At non quæ veſtras preſſit ſitis ardua fauces,
Obſeſſis toto valuit depellere ponto.
Ac neque languentes cœlo miſeratus ab alto
Juppiter optatos demiſit nubibus imbres:
Non tellus ſolitos ſubter cava ſaxa meatus
Expreſſit puteos, puteos quoque limpidus humor
Deſtituit: tales narratur pendere pœnas
Tantalus, effrænis miſeranda piacula linguæ.
Ergo intra muros miſerum langueſcere vulgus
Et paſſim jumenta mori, mœſtaſque per urbes
Plurima tunc mortis circumvolitavit imago.
Præterea irrumpens dum vos maris impetus hoſti
Subtraheret, fuſis Martemque repelleret undis;
Interea pinguem dira ſalſugine terram
Perdidit, & limum venis exhauſit opimum,
Gratia ſic pelagi vobis, nil Numina proſunt.
Jam tumidas, Batavi, mentes, jam ponite faſtus;

Et tandem imbelles Victori tendite palmas :
Hoc unum ſupereſt vobis, hæc una ſalutis
Spes, dictis placare virum, veniamque precari.
Nec vos externis venturus miles ab oris
Decipiat; neve inſontes involvite veſtris
Cladibus heu! populos; ſolatia dira malorum.
Quid veſtræ, ô miſeri, funeſta incendia culpæ,
Spargitis in gentes? Batavum-ne ob crimen Iberi,
Et Belgæ, & Cimbri, atque redemptis Teutones armis,
Sternantur campis! Non eſt Hollandia tanti.
Verùm hæc omnipotens ſummi regnator olympi
Viderit, æterno qui temperat omnia nutu.
Tu, Lodoix, *quocumque Deûm te fata vocabunt,*
Huc totas converte acies, huc omnia belli
Numina: fulmineas turmis impinge cohortes
Teutonicis, Bataviſque ſimul; teque omnibus unum
Imperiis oſtende parem: te bella movente
Concuſſis tremat Urſa polis, nimioque Bootes
Plauſtra metu, Oceani intacto ſub gurgite condat.
Fallor? an Auſtriacas video properare catervas,
Sublimeſque Aquilas, paſſis in nubila ſignis
Ducere pugnaces externi Martis alumnos?
Quoſque vadis ingens horrentibus alligat Iſter?
Quò ruitis? quo præcipites malus abripit ardor?
Quis furor invictos Lodoici *impellit in enſes?*
Quodve ſcelus luitis, rerum ut diſcrimine tanto
Damnatam ſuperis placeat defendere cauſam;
Cladibus & veſtris populos ſervare nocentes?
Non alias vires, non cuncta obſtare videtis
Numina? Quid ſummo nequicquam brachia cœlo
Tollitis, atque iterum vertendas fulmine moles?
Si vos terrigenum delectant facta Gigantum,
Omne latus mundi Phlegram dabit, undique cœli

Fulmina, & iratum cœptis ſperate Tonantem.
O quantos vobis vis inconſulta labores,
Funeſtoſque parat dura inter prælia caſus!
Quas ſtrages feret illa dies, quâ vivida torvus
Agmina miſcebit Mavors! quæ funera ripis
Attoniti plangent amnes! quotieſque cadentum
Immodico triſtes nigreſcent ſanguine lymphæ!
Te LODOIX, *cunctis cinget victoria palmis.*
Tunc Batavûm tellus tantis perculſa ruinis
In leges volet ire tuas: Germania flebit
Devictas aquilas, labefactaque cornua Rheni.
At quanto excipiet reducem te Gallia plauſu,
Perfunctum bellis & ſacra fronde revinctum
Tempora! quàm lætas emittet ad æthera voces!
Tunc mihi adeſſe Deas optem, vocale tenentes
Ancipiti ſub monte nemus; quæ carmina dictent,
Carmina digna tuos ſeclis memorare triumphos:
Et facient, ni me Divûm præſagia fallunt.
Tunc non me quiſquam vatum de gente canora
(Fido equidem) Aonii vincet certamine cantus:
Non ſi ipſum inferno Manes Acheronte remittant
Orphea, & ille ſono dulci teſtudinis aureæ
Saxa revulſa trahat rurſus, ſilvaſque ſequentes;
Oblitaſque fugæ modulatibus alliget undas.
Interea hos molli lectos de ceſpite flores,
Muſa meo blandum aſpirans quos educat arvo,
Sit mihi fas, LODOICE, *tuis fixiſſe trophæis,*
Et triſtem auricomis galeam exhilarare corymbis,
Armorumque jubar. Tu, ſiqua eſt gratia mentis
Devotæ; ſi ſerta aris oblata, ferenti
Conciliant Superos; placido, precor, accipe vultu,
Rite tibi plaudens animus quæ carmina donat:
Forſan & hæc (timidis adſint pia Numina votis)
Servabit ſeclis, metuetque abolere vetuſtas.

IN EJUSDEM EXPEDITIONEM, QUA Sequanos incredibili celeritate imperio ſubdidit.

QUALIS flamma, Jovis flagranti excuſſa lacerto
Aut gelidas Alpes aut nubiferum Apenninum
Percutit, & veteres proturbat verbere pinus;
Qualis & hibernas Zephyro ſolvente pruinas
Vere novo, in præceps alto de monte volutus
Inter ſaxa ſonat prorupto vortice torrens;
Paſtorumque caſas & rapta armenta revulſis
Cum ſtabulis agit, atque ipſas rotat impete ſilvas;
Talem improviſis ſtupuit modo Sequanus armis
Pulſantem LODOICVM *arces & celſa ruentem*
Mœnia, tot quondam heroum fruſtrata labores.
O quantum attonitis labefacta per oſſa pavorem
Gentibus incuſſit tantæ virtutis imago!
Cùm regem propiùs muros equitare viderent
Armatum, rurſumque duces ad bella vocantem
Indomitos, & adhuc Belgarum à ſtrage recentes.
Ille Deûm auſpiciis & magno pectore fretus
Protinus hiberni furiis ſe credere cœli,
Suſtinuit, celereſque manu molitus habenas,
Impulit ardentes ſtagnata per arva catervas.
Non illum aſſiduis permiſcens omnia nimbis
Terruit Orion: nec iniquæ frigora brumæ,
Bacchanteſque polo venti, & quæ plurima ſævæ
Monſtra ferunt hyemes, potuere, aut invida cœptis
Aſtra moram facere, & rapidos tardare triumphos.
Expectent alii dum ſe convertat Olympo
Purpurei rota Solis, amicáque ſigna reviſens
Squalentes reparet terras, Zephyroſque reducat:

Bella gerit Ludovix, & quovis tempore vincit:
Illa etiam triſtes audax committere pugnas
Tempore, & ariſoni Martis tentare pericla;
Quo ſe cuncta hiemis dura haud improvida, tectis
Bellantum turba abſcondit, vinoque relaxans
Pectora, præteritos gaudet meminiſſe labores:
Quo galeas Mars ipſe graves, & ſcuta reponit,
Spiculaque, æternoque animum devinctus amore
Idaliæ poſitâ in gremio cervice recumbit.
Uſque adeo magnas laudum imperioſa cupido
Præcipitat mentes curiſque ingentibus implet.
At tu, quando erat hæc LODOICI *certa voluntas,*
Tu quoque debueras ſtimulis urgere jugales,
Maxime ſol, vernoſque illi accelerare tepores,
Et vaſtas penitus flammis ſiccare lacunas.
Sed duris gaudet virtus concurrere fatis.
Nunc certe hunc duraſque vices, atque aſpera rerum
Teſtis eris, curſumque omnem ſuperaſſe ferendo.
Pergite Pierides ſeriemque evolvite belli:
Et vos immanes facite alta ſilentia venti
Nunc ſaltem, attonitis factum memorabile terris
Dum refero. Quod vix ſeclis ventura futuris
Crediderit facinus ſeries mirata nepotum,
Nutantem primo adventu, armorumque fragore
Procubuiſſe Dolam, LODOICI, *maxima virtus*
Præſtitit, illa ferox, magnorumque æmula regum
Arma inter caput attollens, faſceſque ſuperbos,
Gallorum ardorem & tanto ſub Rege tumultus
Non tulit inſolitos, domitumque excuſſit Iberum.
At quos auſa duces olim, quave agmina contra
Stare armis, feſſoſque avertere mœnibus hoſtes?
Seu dabat Auſtriades animos, faſtuſque fovebat:
Seu durum Helvetii bello genus, aſpera victu
Quos regio & crebris vexata Aquilonibus Alpes:
Seu

Seu decus eximium hoc & tanti gloria facti,
Servataque Deûm fato hac in tempora laurus.
Poſtquam igitur poſitos LODOICVM *irrumpere fines*
Vidit, & admotis ſub propugnacula caſtris
Tormenta excutere, impulſas jamque undique moles
Provolvi, & qua ſaxa globis convulſa dehiſcunt,
Francigenas tentare gradum & ſuccedere muris;
Non ullum auxilium feſſis ſubmittere Iberos,
Nuſquam Aquilas ſegnes, promiſſaque Cæſaris arma:
Tum verò urgentis ſubito terrore ruinæ
Perculſi cecidere animi: ſtat pandere portas.
Quando aliter fuga deprenſis haud ulla pericli,
Nec ſpes ulla datur: tum menti infanda recurſant
Belgarum, totum famâ vulgata per orbem
Supplicia, haud æquis dum certant viribus arces
Tutari, & cæco permiſcent cuncta furore.
In primis LODOICI, *altis quem nulla pericla*
Abſterrent cœptis, hinc uſque ad ſidera virtus
Cognita, turbatas ſubigit formidine mentes.
Nam velut horrendis ſi quem Getula leonem
Saltibus, antiquum ſpelunca mapalibus hoſtem
Jamdudum multo balantum ſanguine paſcit.
Illum Paſtores (quanquam & genus acre luporum,
Informeſque altis deſcendunt montibus urſi;
Atque aliæ innumeræ peſtes per inhoſpita teſqua
Inſidiantur, & in prædam fera guttura pandunt)
Solum horrent, ſoli eſſe putant rabida ora, profundam
Ingluviem, hoc uno metuunt ſibi funera ab hoſte,
Haud aliter, LVDOVIX *cum tot valida agmina ducat;*
Tot claros virtute duces, magis omnibus unus
Proturbat tamen obſtantes, ſoluſque timetur.
Sic cum Sigeis belli tot fulmina campis
Tydideſque & uterque Ajax, & dirus Vlyſſes,
Et gemini Atridæ, Danaûmque exercitus omnis;

Vnà omnes Phrygiam inſtarent exſcindere gentem;
Vnus at ille tamen magni Chironis alumnus,
Millibus in multis Trojam ſubvertit Achilles.
At cui tam celeres tribuerunt Numina curſus
Bellorum ? vix ſeptenos Tithonia ab Indis
Fluctibus emergens terris oſtenderat ortus,
Ex quo terrificum campis eduxerat agmen,
Fulmineus LVDOVIX, *tenues cum lapſa per auras*
Attulit optatum bello victoria finem;
Et Dola Victorem excepit, mirabile dictu.
Cujus mox exemplum aliæ, moremque ſecutæ
Iiſdem ſe porro arbitriis & legibus arces,
Oppidaque addixere: animos ad ſidera tollunt
Francigenæ, celebrantque dapes, & vina coronant.
At Rex cælicolis tanto pro munere grates
Lætus agit, meritoſque aris indicit honores.
Ipſe triumphali præcinctus tempora lauro,
Gratantes inter populos, & fauſta precantes,
Ingreſſus, ducit ſolemnem ex ordine pompam:
Omnis quem procerum ſeries comitatur ovantem.
Gratantes populi votis, plauſuque ſequuntur.
Hos ego præſtantes primus memorare triumphos
Ardebam magno rerum ſuccenſus amore;
At tu fama loquax ipſis pernicior Euris,
Dum meditor, dum Pieridum mihi tota ſub antris
Sudat anhela cohors, placidumque Helicona fatigat;
Jamdudum hæc totum reſonas decora alta per orbem.
O nimium ſegnes Muſæ! dum verba, modoſque
Nectitis & varios decerpitis undique flores;
Jam LVDOVIX *nova bella movet, nova ſemina laudum*
Perſequitur: nimirum, O Princeps maxime, ſi vis
Singula quæ peragis chartis miracula pandi;
Te decet Aonias paulùm expectare catervas.
Pauliſper ſubſiſte: nequit te docta canendo

Turba ſequi. Sed enim laudes dum feſſa moratur:
Hoc magis ipſa tuas laudes dat cernere; factis
Quod potes & celeres mentis prævertere motus.

SERENISSIMI PRINCIPIS, DELPHINI FILIO, BVRGVNDIÆ DVCI.

GENETHLIACON.

MVSA, vides quanto teſtetur gaudia plauſu
Lutecia; ut vicos feſtis illuminet omnes
Ignibus; ut lætas emittat ad æthera voces,
Principis optati natalibus: omine fauſto
Quem peperit nuper magno lectiſſima Conjux
Delphino, Patriæque, & magnanimo LODOICO.
Ille diu notus victor, tituliſque ſuperbus
Bellorum, claruſque orbi per mille labores;
Non minus hoc regni fundatus pignore tanto,
Gaudet avus dici, pulchramque extendere gentem
Borbonidum: juvat ætherium ſpectare nepotem.
Qualis Erythræo prognata è gurgite bacca
Maternâ exeritur conchâ: aut Chryſanthus ad auras
Auricomum ſilvæ tollit rutilantis honorem.
Stant Charites circum cunabula; lilia plenis
Spargentes manibus, & purpureos hyacinthos.
Stant Parcæ, & tereti verſantes ſtamina fuſo,
Magnarum intexunt penſis miracula rerum:
Argumentum ingens, palmaſque & mille trophæa,

Addunt, & ſeclis natum melioribus aurum.
Cætera quis valeat digno comprendere verſu;
Et quos incutiant animis nova gaudia motus?
Quippe etiam argutæ ſtudio geſtire videntur
Aſſuetis volucres ſub frondibus, ipſa moveri
Arbuſta, & rigidæ motare cacumina quercus.
Quidquid Verſalios Regi blandita per hortos
Flora parit, tepidi conjux formoſa Favoni,
Ecce ferunt Nymphæ calathis, hilareſque ſub antris
Exercent choreas: ſtrepitu nemora alta reſultant.
Omnia nunc rident: poſſent impune leones,
Impune è clathris emitti horrentibus urſi.
Uſque adeo mores valet emollire voluptas.
Quin etiam titulos procul amovet, altaque regum
Majeſtas ſolio, faſtus oblita ſuperbos,
Lætitia ſuperante cadit: ceſſere minaces
Excubiæ; nulloque aditus cuſtode tenentur.
Ipſe potens rerum foribus LODOICVS *apertis*
Gratantem admittit turbam, lætoque tumultu
Aſpicit intrantem: ſtupet in penetralibus aula
Effuſum proceres inter diſcrimine nullo
Vulgus, & inſolita miſceri nube Penates.
Et dubitatis adhuc ſacras accedere cunas
Docta cohors, tenerumque ducem meliore corona
Amplecti, & merito jam nunc aſſueſcere cultu?
Cunctantes vocat ipſe pater, qui veſtra ſecutus
Sacra diu, veſtris Delphinus crevit in ulnis.
Ipſe vocat LVDOVIX, *Phœbi non inſcius artes*
Quid valeant, ſeu pacis opus, ſeu bella geruntur.
Spem tantam regni, & Francæ nova munera gentis
Diſcat Iber: noſtris non æqua potentia rebus
Audiat Auſtriades: tumidos Germania faſtus
Comprimat, & pueri Genium ſurgentis adoret.
Sequanus haud ullas, LODOICI *aut Marte ſubactus*

Speret Belga vices : fatorum pignore tanto
Certa fides, certa armorum fortuna manebit.
Immotæ ſtabunt arces, quas fortibus armis
Addidit imperio LUDOVIX *: nec fœdere juncto*
Si Tameſis Rheno, Tameſi conjuret Iberus,
Motibus impoſitas poſſint convellere leges.
Sed puero pridem longè majora volentes
Promiſere Dei : nec fruſtra in luminis oras
Nitenti, blandum puero plaudentibus aſtris
Signa dedit mundus : certè tam læta per orbem
Attonitæ nunquam ſtupuerunt omina gentes.
Jamque Oriens trepidare metu, graviorque tyrannum
Cura ſubit, tumidas volvit jam mollior undas
Boſphorus, Eoiſque Ducis ceſſura triumphis
Bactra pavent : nato lætentur vindice gentes
Oppreſſæ. Interea noſtros pax alma penates
Incolat, & populis Divûm indulgentia proſit.
Te, quàm præclaris Superi ſucceſſibus augent,
Cui nil fata negant ; reſpondent omnia votis ;
Tam cunctis facilem eſſe decet, LODOICE *; tuiſque*
Conſulere, & duros populis avertere caſus.
Te fauſtum terris ſidus, te Gallia numen
Sentiat, ut nullo tantum ſe principe jactet :
Teque juvet factis imitari exempla Deorum,
Quod facis, atque alios memores feciſſe merendo.

PARISIIS,
Excudebat JOANNES CUSSON, Typographus & Bibliopola Pariſienſis. 1683.

SUMMA PRIVILEGII.

CAVTVM eſt auctoritate Regis Chriſtianiſſimi, ne quis in regno Franciæ, & aliis ditionis ejus locis, volumen præſens, quod ſic inſcribitur; PETRI PETITI *Philoſophi & Doctoris Medici Selectorum Poematum libri* &c. Excudere audeat, intra ſex annos abſolutæ hujus primæ editionis, præter JOAN. CVSSON Typographum & Bibliopolam Pariſienſem, cui auctor Privilegium ſuum conceſſit. Qui ſecus fecerit mulcta indicta in diplomate regio coercebitur.

Perfecta eſt editio die 6. *Martii* 1683.

EMENDANDA, MVTANDA ET ADDENDA.

DIſſert. pag. 6. lin. ult. & primum, *lege* ac primum.
pag. 7. lin. 8. ut, *l.* uti. pag. 8. lin. 26. ſeorſim, *lege*
ſeorſum. pag. 12. lin. 22. *κνέὸν ſcribe κνεὸν.* μίλτωσα
ſcribe μίλτωσαι. pag. 16. lin. 24. item ſtudioſi *l.* ſcilicet
ſtudioſi. p. 33. lin. 4. *ἐυρθῖς l. ἐυφυοῖς.* pag. 35. lin. 10. pro-
fecto quiſquis, *lege* ita eſt profecto. pag. 38. lin. 1.
ϰὴ αὐτη, l. ϰὴ ἄυτη. pag. 43. lin. 10. hoc nomine conve-
niunt Platonem, *l.* hoc nomine eum conveniunt, voce
Platonem expuncta. pag. 49. lin. 1. quid unumquodque
ferre, *adde* poſſit. pag. 53. lin. 2 Dii immotales, *leg.* im-
mortales. pag. 56. l. 7. omnium malorum extremam *lege*
extremum. pag. 58. lin. 9. ſed ſalix dumtaxat *l.* ſed ſa-
lix, olea, & populus alba. Poematum pag. 1. verſ. 12.
ſpiritum, *lege* ſtrepitum. pag. 53. lin. 13. in præfat.
ad Citad. Nec metuo ut, *l.* nec metuo ne. pag. 74.
verſ. 10. carmina, *lege* gramina. Pag. 76. verſ. 13.
Boote, *l.* Boota. Pag. 84. v. 2. æſtuanti, *l.* æſtuante.
Pag. 112. verſ. 31. Diſſilerit, *l.* Diſſilit. Pag. 143. verſ.
14. quas, *l.* quos. pag. 166. verſ. 16. ſubito, *l.* gelido.
pag. 204. verſ. 12 roboant, *l.* teboant. ejuſdem pag. v. 23.
puteos, *l.* puteis. pag. 208. v. ult. Quos tegio, *l.* Queis
Hactenus potui, cætera quæ occurrent mendoſa, eru-
ditus Lector corrigat.